

EPISTOLA  
STANISLAI. RESCII  
DE. TRANSITV. ET. DORMITIONE  
ILLVSTRISS. ET. REVERENDISS.  
D. STANISLAI. HOSII

S. R. E. Cardinalis, Maioris Pœnitentiarij,  
& Episcopi Varmiensis.



Cum licentia superiorum.



Effo Schencking P  
dicit pro collegio  
Ligeti Anno 1586

R O M A E

Apud Heredes Antonij Bladij Impressores Cameraleſ,

M. D. L X X X.



STAN

De tra

Re

S



verbisime  
ratione lenia  
denillum &  
moderate fer  
Nam: max  
im: Sacra  
aut: De  
Dei min  
adiuuabir  
scolimus,  
Quia  
ede ho  
Non a  
nondem  
enim

EPISTOLA  
STANISLAI RESCII

De transitu & dormitione Illustriss. &

Reverendiss. D. Stanislai Hosii

S.R.E. Cardinalis, Maioris

Penitentiarij, et Epis-

copi Varmiensis.

A C E R E non potui, ac ne debui  
quidem N. quin ad te litteris meis  
perscriberem de transitu, & dor-  
mitione viri incōparabilis & Deō  
amabilissimi Stanislai Hosij Car-  
dinalis, Maioris Pænitentiarij, &  
Episcopi Varmiensis domini & be-  
nefactoris mei obseruandissimi: tu  
vt dolorem hunc meum, qui me  
acerbissime cruciat, præclarissimarum rerum commemo-  
ratione leniam: tum vt te animumque tuum iam, vt puto,  
demissum & oppressum, ad calamitatem hanc fortiter &  
moderate ferendam, isto officij genere excitem atque ex-  
tollam: maxime vero omnium, vt Scripturæ dicenti obe-  
diam; Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera  
autem Dei reuelare & confiteri honorificum. Spero in  
Dei misericordia, quod hanc animi mei contentionem  
adiuuabit is, qui talem eum facere dignatus est, de quo  
scribimus.

Qualis vita mortem hanc præcesserit, non ignoras. Ve-  
re de hoc plane diuino viro dici potuit, quod in omni vita  
sua non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum  
non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit. Ab vero  
enim matris suæ egressa est secū pietas, & à diebus infan-

A tiae

tiæ suæ creuit miseratio , quam p er omnem vitæ suæ cursum , summo semper studio animique contentione coluit , nec v nquam in via vanitatis ambulauit , nec curam suam in studiis inanitatis v nquam posuit , nec se & virū & iuuenem esse , nisi in perferendis exantlandisque pro adeunda totius pietatis professione , laboribus expertus est : quod suo loco & tempore in oculis & in auribus omnium gentium ac nationum longe clarus & manifestus innotescet . Mihi in hoc tempore nihil aliud constitutum atque deliberatum est , quam vt ad te simul cum fama obitus eius , quæ protinus orbem vniuersum proculdubio peruelabit , eius quoque rei significatio perueniat , quam fuerit omnibus anteactæ vitæ studiis consentiens & consentaneus hic eius ex hac mortali vita excessus , & quem præterea ordinem in anima sua Christo , à quo eam acceperat , repræsentanda conservare voluerit : quamque verum sit illud , quod olim Sanctus quidam prædictus , Non potest male mori , qui bene vixerit .

Iam aliquot menses intercesserant , ex quo languidius cule cæperat habere , & alii fluxu paulo vehementiori laborare ; nunquam tamen adduci potuit , vt plusculum aliquid & otio & quieti cæterisque vitæ commoditatibus indulgeret : sed in suscepta propositaque sententia constansime perseverauit : nec de studiis , nec de lectione , vel scriptione , cæterisque pietatis exercitiis quidquam remisit ; sed omnem animi sui contentionem , sicut iij solent qui ad metam instituti cursus accelerant , magis atque magis ad omnem pietatis meditationem incitauit . Cum autem in omni vita sua dies ieuniorum ab ecclesia instiuitos religiosissime castissimeque seruaslet ; ne in hac quidem ætate sua decrepita sententiae suæ constantiam voluit immutare . Quamobrem & superiore rem Quadragesimam summa cum animi alacritate , in summa abstinentia , & in vsu quadragesimalium ciborum transegit : nec potuit ullis aut medicorum aut quorumcunque tandem precibus & cohortationibus , vt quos illi vocant , cibis vteretur salubrioribus , expu-

expugnari. Immo vero solitus erat dicere, prout p[ro]pterea se  
ieiuniorum dies ab ecclesia institutos diligentissime obser-  
uare, quod vellet esse longaeus super terram. Scriptum  
enim esse commemorabat; Honora patrem tuum & ma-  
trem tuam, ut sis longaeus super terram. Pater, inquit,  
meus est Deus in caelis: mater mea est ecclesia in terris.  
Ille praecepit ut ieiunem, ista praecepit ut his, vel illis diebus,  
& isto, vel illo tempore ieiunem. Vtrumque libentissime  
audio, certaque spem concipio futurum, ut obedientiae  
meae fructum hunc referam, ut sim longaeus, sicut mihi  
Scriptura promittit, super terram. Ab illo itaque tempo-  
re, nescio tamen an ex eadem causa, cæperunt vires sto-  
machi quodammodo relaxari; ita ut longe quam ante mi-  
nus vel cibum appeteret, vel acceptum concoquere, aut re-  
tinere diutius posset. Paulo post autem diarrhaeæ quoque  
morbo correptus est, qui nunquam postea constitit; cuius  
ille tamē molestiam semper vult moderatisime; nisi quod  
plerumq[ue] à studiis rerum diuinartum, & à plerisque officiis  
eius interuentu retrahebatur, ita ut nesciret sic u[er]o ille dixit  
olim, quando esset cum galea domo sua prodeundum. Sic  
igitur cum esset valetudine valde dubia & incerta; magis  
atque magis per aliquot menses ventris illa fluxione ex-  
hauriebatur. Ac monebatur quidem à nobis, ut antequā  
caelum Romanum ignibus vehementioribus, quibus sole-  
bat vim pene totam fatis languiduli corporis exhanrire,  
inflammaretur, ab urbe rusticatum secederet, valetudinj  
que daret operam. Sed is à perpetuo suo instituto renocari  
non potuit, ut ante festum Beatissimorum Apostolorum  
Petri & Pauli, quorum venerandi cineres in urbe requie-  
scunt, quos ille in summo semper cultu veneratione que  
habuit, Roma pedem efferret: maluitque subire valetudi-  
nis suæ periculum, quam honori tantorum Apostolorum  
in hoc ipso loco deesse, in quo profuso pro Christi fide san-  
guine, Deo suo spiritum reddiderunt, quem illis ad iij. Ca-  
len. Iulij Urbs Roma simul cum orbe reliquo universo so-  
let summa cum ceremonia celebritateque deferre. Sic igi-

103      A

etur ad v. Idus Iulij, quæ fuit feria sexta, dies commemoran-  
dæ passionis Dominicæ destinata, ipse quoque ad subeun-  
dam passionem suam, Capranicam versus ex urbe disces-  
sit: ubi cum per octo integros dies commodissime valui-  
set, an quod in aerem paulo frigidiusculum ex calidissimo  
ardentique cælo Romano venisset, an ex alia quapiam  
causa incertum: magis tamen atque magis ventris pro-  
fluuiο cœpit laborare, ita ut aliquando quindecim & sede-  
cim vicibus uno die egereret. Quæ res illi & cibi appeten-  
tiam ademit, & cursum somni impediuit, & omnes in uni-  
uersum vires corporis vehementer exhausit & extenua-  
uit: sed inuictum illud animi robur, & inflamatum erga  
res diuinæ studium, nulla calamitas, nulla corporis incom-  
moda frangere debilitareque potuerunt. Nam cum illi per  
omne vitæ suæ tempus fuisset hoc in more positum, vt in  
ecclesiis ad honorem Dei & Sanctorum eius consecratis,  
Missæ sacrificium vel offerret, vel offerentem Sacerdotem  
videret, à veteri suo instituto animique inductione, ne in  
illa quidem tanta corporis debilitate & languore sibi puta-  
uit esse recedendū. Quamobrē etsi vix pedibus posset con-  
sistere; ad ecclesiam tamen sensim pedetentimque singu-  
lis diebus accedebat, in qua ad tremendum Missæ sacrifi-  
cium Christianam Rempub. se suaque omnia diuinæ pri-  
mum bonitati, deinde Sanctorum precibus & intercessio-  
nibus deuotissime commendabat. Sed hanc illi facultatem  
morbi quoque vehementia abstulit; ita ut non posset, nec  
etiam tutum esset extra priuatos patientes pedem efferre:  
quæ res, etsi maximum illi sensum doloris adferebat, illud  
tamen longe grauissimum & acerbissimum accidit, quod  
per aliquot dies ab audiendo Missæ sacrificio coactus est  
abstinere: tum quod nullus certus esset ad res diuinæ in il-  
la domo locus destinatus: tum quod ecclesiasticorum ca-  
nonum authoritas, & ipsius quoque Concilij Tridentini,  
in quo personam Legati Apostolici magna cum dignitate  
sustinuit, sanctiones prohiberent; vt ne paterentur Epis-  
copi in priuatib[us], atque omnino extra ecclesiam,  
& ad

& ad diuinum tantum cultum dedicata. Oratoria sanctum  
hoc sacrificium à quibusunque tandem peragi. Sed statim  
succurrit piissimo eius desiderio diuina misericordia. Cū  
enim de inualetudine tam laudati Cardinalis Episcopus  
Nepesinus nuncium accepisset, vt virum Dei visitaret, Ca-  
pranicam accurrit, & celebrandi sauitatem in priuato cu-  
biculo, id ipsum ab illo petente, summa cum humilitate,  
Cardinali libentissimo animo concessit: neque tamen ad-  
duci vel medicorum consiliis, vel precibus nostris passus  
est; vt languens & exhaustum atque deficiens corpusculum  
in lectulo contineret; sed in aliud nihilominus offe-  
rendo sacrificio cubiculum destinatum, ita vt poterat, sece-  
debat: in quo genibus flexis, & manibus in coelum eleua-  
tis, vim lachrymarum profundens, Domini misericordiam  
tota mentis animique sui contentione implorabat. Ac-  
cidit autem, vt à quodam ex suis moneretur, vt in sella po-  
tius sedens, quam in genua prouolutus, & in pectus incum-  
bens offerentem sacerdotem aspiceret. Cui paulo & præ-  
ter morem suum concitatus respondit, Ne me iam facias  
delicatulum: sic par est, vt ego quem debeo cultum & reue-  
rentiam Deo meo exhibeam. Sed neque hoc passus est, vt  
sacrificio durante flabel' o quisquam ventum excitaret re-  
frigerandi gratia. Cum ad cibum sumendum esset illi ac-  
cedendum, non ad refectionem, sed tanquam ad paenam  
se vocari dicebat, ac s̄epe coram medicis de suo patrefa-  
milia (stomachum autem intelligebat) questus est, quod  
perperam munere suo perfungeretur, & alimenta quæ ad  
illum reliquorum membroruſ sustentandorum grata trans-  
mittuntur, non in membra corporis diuideret, sed in se-  
cessum emitteret. Contendebant maiorem in modum  
medici, vt intra vnius cubiculi parietes perpetuo se conti-  
neret, & cibum decumbens in lectulo sumeret: sed nullo  
suo studio conatuque id vt faceret, perficere potuerunt.  
Conati quoque sumus & nos illi persuadere, vt in eodem  
lectulo diuinum Missæ sacrificium audiret: sed is nobis cū  
quadam ignorantia & incogitantis consilij exprobatione,

minime

minime conuenire, respondit, ut ad cibum sumendum e  
lectulo surgeret, ad Deum laudandum prostratus in lectu-  
lo iaceret. Et quoniam summa debilitas omnia corporis  
membra magis atque magis affligebat; opera & premium iu-  
dicabant medici, ut subinde cibo reficeretur: quem ut be-  
ne mane sumeret, quoties a nobis rogabatur, cum quadam  
animi commotio incula suam infelicitate deplorabat, quod  
in sua inque tam numerosa familia nemo inueniretur, qui  
ad recitandas preces, vel ad Missæ sacrificium audiendum  
adhortaretur, aut ad debitas Deo laudes tribuendas in-  
uitaret: sed omnes, quasi conspiratione facta, cibum  
istum corporalem obtruderent, seque vellet facere hel-  
luonem, & in eo summam recuperandæ valetudinis esse  
constitutam existimarent: se vero spem suam omnem non  
in medicorum artificio, nec in Galeni præceptis, nec in  
phæsianorū & perdicū cadaueribus: sed in gratia Dei eius-  
que infinita misericordia reponere: cui si visum esset vitam  
longiorem concedere, potius id esset a spirituali cibo, qui  
in sacrosancto Missæ sacrificio proponebatur, quam a qui-  
bus suis carnalibus epulis expectandum. Sic ergo aliquando  
contigit, dum Canonicas preces recitat, dum Missæ sacri-  
ficium audit, dum consuetas suas vestes in illo languore  
corporis induit, dum in secessum it atque redit; ut ad meri-  
diem usque & ultra prandium extraheretur. Cæterum S.  
D. N. Greg. Pont. cum intellexisset diuinum hunc virum,  
quem in ipso adhuc Concilio Tridentino in summa sem-  
per veneratione habuit, & cum esset Pontifex designatus,  
omnibus humanitatis officijs semper prosequutus est, Ma-  
iorisque Penitentiarij munere exornauit, in tantam corpo-  
ris imbecillitatem incidisse; misit e vestigio D. Georgium  
Ticinum Camerarium suum, qui suo nomine paternam  
illi benedictionem impartiretur: utque totam animi con-  
tentio[n]em, atque suum illud acre & intensum studium  
ad tuendam valetudinem conuerteret, quam diligentissi-  
me adhortaretur: ante omnia vero ut Romam primo quo-  
que tempore rediret, in qua maior esset futura rerum ne-  
cessiarum

cessariarum abundantia, & omnis omnium medicorum  
industria, ad reprimendam istius morbi vehementiam con-  
uerti facilius posset, nec vlliis medicinæ facultas esset illi  
vnquam defutura: se quoque nullam occasionem esse præ-  
termislerum, qua posset quocunque tandem officij atque  
pietatis genere, afflictam hanc eius valetudinem subleua-  
re. Hoc tam benigno Pontificis nuncio, atque ista plane  
paterna sollicitudine fuit non parum recreatus Cardina-  
lis: sed cum deiecta esse & prostrata prorsus omnes cor-  
poris sui vires intelligerer, nullam sibi facultatem relictam  
esse respondit, ut ex eo in quo manebat loco pedem posset  
efferre, tum & ipsum anni tempus, quominus ad urbem  
accedere liceret, & sanos & infirmos vehementer deterre-  
re. Quod ad reliquias commoditates, & victus & medici-  
narum opportunitates attinet, se in media plane urbe  
versari. Nam Illustrissimus Dominus Cardinalis Farne-  
sius (quem in omni sermone suo summa cum honoris pre-  
fatione, & patriæ & valetudinis suæ protectorem appella-  
re confuerat) ex Capratola sua, in qua ipse quoque men-  
ses æstiuos duceret, omnia ad victimum & ad valetudinem  
curandam necessaria, & abundantissime, & copiosissime,  
& animo libentissimo suppeditabat; immo & sui quoque  
medici operam & industriam ad studium recuperandæ va-  
letudinis conuertit. Erat enim & extra urbē & in ipsa quo-  
que urbe præstantissimorum, ac doctissimorum quorum-  
cunque virorum de tuenda conseruandaque tam salutis  
Ecclesiæ Dei viri valetudine sollicitudo. Ita ut passim non  
solum vota publica per urbis Ecclesias, viri conseruanda  
religionis Catholicæ studio inflammati facerent, sed etiam  
operas suas & rem & fortunas libentissimo animo offer-  
rent, dummodo posset hæc tam solida Ecclesiæ Dei  
columna ab imminentि casu prolapsioneque liberari. Inter  
hos autem Regni Poloniæ, patriæque nostræ Viceprote-  
ctor Illustriss. Cardinalis Sabelius vir prudentiæ, humanita-  
tis & grauitatis laudibus abundans, cum à multis annis pie-  
tatem innocentissimi Cardinalis adamasset, illique omni-  
bus

bus in rebus gratificari semper contendisset, hoc præcipue  
tam necessario tempore admirabilem curam & sollicitudin-  
em omnibus officijs præstandis declarauit: ac modo non  
singulis horis & momentis de afflita Cardinalis valetudi-  
ne laborauit, & quæcunque tandem ad eam restituendam  
necessaria præsidia summa voluntate pleno amicissimi de-  
siderij animo suppeditauit: cui se hoc nomine plurimum  
debere semel & iterum Cardinalis in auribus nostris testa-  
tus est. Interim ex Urbe quoque venit officij causa Reue-  
rendus Dominus Episcopus Montis regalis, qui summa  
cum dignitate apud Henricum, & Stephanum Poloniæ  
Reges Nuncij Apostolici munus per annos aliquot susti-  
nuit: quem cum in cubiculum introduxissem, incredibile  
est quâto eum gaudio vir diuinus exceperit: sublatis enim  
in cœlum manibus, vim lachrymarum profundes, Adue-  
nisti, inquit, desiderabilis, cuius ego præsentiam vix optare  
nedum expectare in hoc anni tempore potuisse: spero  
quod per te malis meis diuina decreuit succurrere miseri-  
cordia. Is ergo cum illum esset aliquandiu consolatus, &  
ad sustinendam morbi molestiam in omni patientia admo-  
neret; Cardinalis ex alto suspiria ducens, oculorū acie in  
cœlum conuersa; Paratus sum, ait, & non sum turbatus.  
Fiat voluntas Domini, fiat voluntas Domini. Cæpitq. de  
suo patres familias conqueri, quod mala secum fide ageret,  
& alimenta quæ in sustentationem reliquorum membro-  
rum distribuere debebat, sine ullo fructu, sed non sine ma-  
ximo cruciatu subinde foras emitteret: & multa alia cum  
de sua valetudine, deque gravioribus negotijs, tum de sua  
quoque firma in Deum fiducia, valde confidenter & aman-  
ter summa cum animi sui præsentia & fortitudine, coram  
Episcopo prudentiae pietatisque nomine laudato, & veteri  
amicitia familiaritateque sibi coniunctissimo, comme-  
morabat. Accidit autem, ut pedem eius dexterum grauissi-  
mus quidam & acerbissimus dolor inuaderet, qualeman-  
tra nunquam in omni vita sua senserat: qui nullo momen-  
to temporis intermissione, quod unum adhuc illi remanebat  
omnium

omnium labōrum & sollicitudinum perfugium, somni fū  
cuitatem interturbabat, nec ullum proſus otij & quietis  
beneficium concedebat. Cui remouendo cum eſſet à me-  
dicis remedium excogitatum, nec villam tamen adferrer  
doloris leuationem, in summis illis angustijs, facta Pij V.  
Pontificis honorificentissima mentione, frequentius incla-  
mabat; Auges Domine dolorem, auge & patientiam. Tā  
& illa Psalmitæ veiba ſæpius iterata proferet. Si iniqui-  
tates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Iram  
tuā Domine & flagella quis ſuſtinebit? Tum & illud, Non  
ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis &c. Et cum  
eſſet affecto pedi paulo frequentior adhibita medicina,  
Iam ne me, inquit, vt S. Laurentium vſtulatis? Nondum  
eius dies festus aduenit, & vſtioneſ ſentio, & vtinam di-  
gnus inueniar, qui cum illo pro Christo ignes omnes &  
vſtioneſ pari constantia animique fortitudine perferam.  
Cum autem viſ doloris nequidquam remitteret, significa-  
uit medicis, vtrum forte expediret, vel aſſi etum & dolen-  
tem, vel etiam vt umque potius pedem abſcindere, & re-  
liquum vniuersum corpus ſeruare: ſperare ſe in Dei miſe-  
ricordia, quod etiam claudus ad Regni caeleſtis poſſeſſio-  
ne perueniet. Interim tota mentis animique contentio-  
ne preces suas ad Dominum effundere non ceſlabat.  
Quamuis enim dolor cruris ſomni facultatem omnem  
ademiſſet, ſæpe tameti tanquam dormitus ad patietem  
ſe conuerit, vt liberius abſtentibus nobis Domini imp'o-  
raret miſericordiam. Illud autem ore ſuo benedicto & im-  
pollutis labijs ſæpiſſime decantabat. O crux aue ſpes vni-  
ca. O crux aue ſpes vnicā. Et intentis in coelū oculis signo  
Sanctissimæ Trinitatis, pro veteri more ſuo, tribus coniun-  
ctis digitis, ad ſignificandum S. Trinitatis mysterium, ſub-  
inde ſe muniebat. Cum autem videret morbi vehemen-  
tiam omnes medicorum artes eludere, cum quadam ani-  
mi hilaritate medicinarū, quas ſemper coniecturas appellabat,  
imbecillitatem & inanitatē arguebat: medicis an-

B tem

tem culpam omnem, non medicinaram imbecillitati, sed humorum acerbitati tribuentibus, & meliore rem valetudinem promittentibus dicebat. Vos me semper consolamini, omniaque meliora promittitis, & bene facitis, hoc enim à vobis requirit officium vestrum: sed video quod operas vestras frustra consumitis: sanate, si potestis, morbum 76. annorum, & facile reliqua omnia incommoda & affectiones corporis amouebitis. Non est iam quod tanta contentione studiorum de valetudine mea laboreti: iam enim tempus resolutionis meæ instat. Immo vero quantas maximas animus meus capere potest, Deo & Saluatori meo Iesu Christo ago & habeo gratias, quod nō ullis meis meritis, sed per summam & infinitam misericordiam suā, ad eum etatis annum me peruenire voluerit, ad quem peruenit sanctissimus & doctissimus ille Doctor Ecclesiæ, quem ego præ cæteris omnibus in vita mea colui, & imitari quantum potui conatus sum, Diuus Augustinus; qui & ipse in 76. anno etatis suæ sanctam suam animam Deo Saluatori suo reddidit. Quis scit, an hanc mihi præterea gratiam impetrabit, ut ego quoque animam meam non solum eodem quo ille etatis anno, sed etiam eodem quo ille die, Iesu Christo Deo & Saluatori meo restituā? sed nihil aliud volo, quam quod tu vis Domine. Fiat voluntas tua, fiat voluntas tua. Paratus sum, & non sum turbatus. Paratus sum, & non sum turbatus. Spero certe, quod mihi sanctus ille Doctor in occursum veniet, & animam discipuli sui Deo meo cui semper seruire conatus sum, in veritate repræsentabit. Has ego diuini viri plane diuinæ voces cum saepius ingeminari audirem, manum eius sacram deosculatus, lachymantibus oculis, Bono inquam animo esto. Illustrissime Domine, melius per Dei gratiam habebis. Non solum diem D. Augustini sacrum, sed multos præterea annos ad utilitatem Ecclesiæ Dei & nostram consolationem saperuiues. Ille vero manum carpi meo imponens (lachrymis ista scribuntur N.) Chal-

riffissime

tissime frater, inquit, ego te semper amavi, charumque  
præ cæteris habui: rogo te, noli mihi adulari. Ego sentio  
quod me calor naturalis pedetentim deficit. Tange pedes  
meos, id ipsum iudicabis. Ego vero, Quidquid tandem fu-  
turum est Illusterrime Domine, bono esto animo. Non  
minus tu recte potes illis verbis te consolari, quibus seip-  
sum olim consolatus est ex hoc mundo in cœlestem pa-  
triam migraturus Arsenius: nam & tu septuaginta & am-  
plius annis Deo seruuiisti. Non potest mala tibi mors acci-  
dere, qui sic vixisti. Ad hæc verba mea subridens Cardina-  
lis, O quam, ait, labilem habes memoriam. Non Arsenius  
fuit cuius tu verba recitas, sed Hilarion, cuius vitam de-  
scripsit Diuus Hieronymus. Et quoniam instabat fe-  
stum D. Marthæ, quæ Saluatorem nostrum hospitio gra-  
tissimo excepsisse legitur: Et ego, inquit, cum Martha Deū  
meum sub tectum meum excipere hoc ipso die decreui:  
Itaque die D. Marthæ sacro, cū horas canonicas deuotissi-  
me genibus flexis absoluisset, Missam attentissime deuo-  
tissimeque audiuit, iunctis semper & in cœlum eleuatis  
manibus. Cumque tempus sumendæ Eucharistiae aduenis-  
set, remotis omnibus puluillis in nudam humum ante al-  
tare se proiecit: confessionem dixit lachrymis & singul-  
tibus interruptam: & tandem (quod mihi perpetuæ laudi  
gloriaeque duco) sacratissimum Corpus & Sanguinem Do-  
mini castissimo ore suo, impollutisque labijs, ex pollutissi-  
mis & peccatoorum foeditate contaminatis manibus meis  
suscepit. Sic igitur lassus, & vix spiritum ducens, ad reficien-  
dum corpusculum accessit: sed cum illi vis morbi & ar-  
dor febriculæ quam tum primum deprehenderant medi-  
ci, omnem prorsus cibi appetentiam ademisset, vix quid-  
quam, idque inuitus & renitens, degustare potuit. Quam-  
obrem iussit me ad mensam suam accumbere: si forte,  
inquit, te comedente, mihi quoque solita redeat cibi po-  
tusque appetentia. Quoties autem à nobis, vt aliquid  
amplius sumeret, admonebatur, & iam hoc iam illud offe-

rebatur, respondit. Cum olim pro continentiae virtute  
Dominum deprecaretur Diuus Augustinus, dicebat  
illi: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sic & ego  
vobis omnibus possum respondere, Date ut possim fa-  
cere quod iubetis, & iubete quod vultis. Intus existens  
prohibet extraneum: quod si foras artificio medicorum  
posset euocari, & somni beneficium, & appetentiā cibi  
nullo negotio recuperarem. Quoties aut intempesta no-  
cte, aut continuatis vicibus, ad te medicum familiarem ac-  
cersebat, summa cum animi sui humilitate factum suum  
excusabat. Parcite, inquiens, mihi rogo vos, quod vobis  
hanc molestiam affero; necessitas id me vt faciam cogit:  
certe non libenter id facio. Pridie igitur eius diei, quo  
sanctam suam animam Deo creatori suo reddidit, an vel-  
let domui sue disponere, priuatim ex eo, non sine maximo  
metu offensionis & sollicitudine animi mei, quæsiui: sed  
is placidissimo & animo præsentissimo mihi respondit;  
quod in ea cogitatione versaretur, ut domui sue dispo-  
neret: & cætera quidem omnia in animo suo disposuisse di-  
cebat, sed in deligidis deputandisque Exequitoribus,  
non possum, ait, exitum consilij mei inuenire. Hoc opus,  
hic labor est: scio quam diuersum exitum habuerunt mul-  
torum extremæ voluntates. Illo ergo ipso die Testamen-  
tum conscripsit, & tenuissimæ hæreditatis, quam in hoc  
mundo relinquebat, dispositionem absoluit: suoque signo  
obsignatam in manus Petri Mariæ Vultanij, Notarij pu-  
blici consignauit. Quoniam autem vrgebatur à me, vt  
quod cæperat, sine villa intermissione absoluueret, cum nul-  
lam illi mentis partem, aut iudicij facultatem vis morbo-  
rum ademisset; illico me in maximo metu versari subolfe-  
cit, ne iam imminente nocte spiritum exhalaret. Quam-  
obrem ne timeas, ait, ista ego nocte non moriar; sed cras  
per Dei gratiam reliqua expediemus. Assistebat illi conti-  
nuo R.P. Oliuerius Societatis Iesu, quem in vita sua sem-  
per habuit charissimum, & spiritualibus admonitionibus  
ad

ad mortem constanter perferendam adhortabatur. Eum  
ille fixis semper oculis, maximaque animi prælentia inten-  
tissime audiebat, & ad singula quæ requirebantur ab eo, re-  
spondebat. Is quoque ut tū de Exequitoribus Testamen-  
ti, tum de loco Sepulturæ suam se ntentiam diceret, lenissi-  
me & prudentissime admonebat. Sed Cardinalis memor  
Apostolici sermonis, Si nos iudicaremus, à Domino non  
iudicaremur: cum suam conscientiam in omnibus vitæ ra-  
tionibus summa cura & studio moderari consueisset; in  
haec quoque extrema vitæ fabula, summa cum deuotione  
animique præsentia, totius antea vitæ suæ generalem  
Confessionem præmittendam esse existimauit. De cæte-  
ris autem rebus antea se deliberaturum, quam aliquid con-  
stitueret, cum summa iudicij maturitate prudentissime re-  
spondit: suamque postea voluntatem & sententiam impo-  
sa fide silentij aperuit, & ita se iam profunda nocte ad  
quietem composuit; sed vanus erat illius conatus. Aufere-  
bat enim vis doloris, & egestiones continuæ somni facul-  
tatem. Quamobrem toram illam noctem assidentibus &  
orantibus & lugentibus nobis, in summa molestia egit: Et  
subinde ex alto suspiria ducens, Si iniquitates, ait, obserua-  
ueris Domine, Domine quis sustinebit? Domine quis su-  
stinebit? Nec ullo momento temporis animum à futura  
vitæ contemplatione, atque à suindendis orationibus auer-  
tit: sed horam septimam quæ fuerat ad celebrandum Mi-  
sæ sacrificium assignata, sollicite cupidissimeque expecta-  
bat. Quæ cum imminaret, ut primum me ad lectulum assi-  
stantem aspexit, vos, inquit, heri sic mecum egistis, tan-  
quam hac nocte mori debuistis. Cæterum negare non  
possum, quod me valde sentio debilem, ita ut vix mihi so-  
la respirandi facultas supersit. Quamobrem cuperem os  
meum modico vino vel etiam aqua ablucere, ut me paulu-  
rum refocillem, & siccitatem oris quam sentio detergam.  
Sed quia sanctissimum Christi Salvatoris mei corpus &  
Sanguinem hora viij. suscipere decreui, religio mihi est ali-

quid

quid in os immittere , ne videar iejunij obseruationem ;  
quam sacri Canones præcipiunt , intemperantia quadam  
& cupiditate vietus fregisse . Cuperē itaque , ait , ( erat enim  
tenerimæ conscientiæ , & abstinentiæ admirabilis , nec vnu-  
quam se quidquam scire præter Christum & hunc cruci-  
fixum gloriabatur , & si quid sciebat , id ipsum scire se nō pu-  
tabat : sed illud in corde perpetuo conseruabat , Beatus ho-  
mo qui semper est pauidus , qui vero mentis est duræ cor-  
ruet in malū ) ex P. Oliuerio cognoscere , vtrū ante sumptio-  
nem sacratissimi cibi liceat mihi saltem oris siccitatē quam  
sentio abluere . Ego vero P. Oliuerium hora noctis fere  
quinta conueni : qui sententiam in ea re mihi suam ape-  
riuit . Cum autem ablutionem illam Cardinali porrexis-  
sem , tanta cautione in os immisit , vt ne vel guttam qui-  
dem vnicam passus sit paulo profundius descendere .  
Quod vbi factum est , cœpit cum Thoma nostro matutin-  
as horas de B. Maria Virgine ad Niues , cum maxima vo-  
cis laterumque contentione , cumque lachrymis & suspi-  
rijs deuotissime recitare : vbi vero ad præclarū illum & di-  
uinum Diui Ambrosij & Augustini hymnum ventum  
est : nequidquam renitentibus nostris languentia & effæ-  
ta membra in terram voluit prosternere , & genibus fle-  
xis totam illam gratiarum actionem deuotissime recitare .  
Accersiuit postea medicum , & excusatione maximæ ne-  
cessitatis identidem præmissa , de noctis incommoditatib-  
us , deque vitio ventris & gutturis questus est , quod som-  
num in oculis suis non viderit , atque acerbissimos cruris  
dolores egestionumque molestias pertulerit . Quibus , in-  
quit , malis poltequam nullum posset remedium inueni-  
ri , ego ad alium medicum longe Galeno vestro præstan-  
tiorem properabo , qui medicinas habet istis vestris suaui-  
res , dulciores , amantiores , quas qui semel degustauerit ,  
nulla vnuquam incommoda , nullam deinceps mortem in-  
sempiternum tempus sentiet . Sed mirum est , quantum  
sunt in hoc paruo tempore omnia in me iuncta , quam  
factus

factus sum ad omnia inutilis . Nihil aliud facio, quam in-  
gero & ego , sit pro omnibus nomen Domini benedictum in secula . Nunc meum bene valere est non pessime  
valere . Hora tandem septima P. Oliuerius ad celebran-  
dum Missæ sacrificium accessit, quem ubi Cardinalis aspe-  
xit, ex lectulo suo surgere, & pro sua perpetua consuetudi-  
ne, ante ipsum altare in medio cubiculo genuflectere vo-  
luit . Nos vero ne faceret, neve se in hoc suo summo lan-  
guore in apertum discrimen obijceret, magnopere roga-  
bamus: & omni diligentia cauebamus, ne quod tentare vi-  
debat, etiam inuitis & reluctantibus nobis, in terram se  
ex lectulo projiceret . Quæ res illi valde grauem & acer-  
bum sensum doloris adferebat. Quamobrem semel & ite-  
rum manibus meis à lectulo, cui assistebam, remouebat,  
dicens lingua nostra materna, Odstep polcuso, Discede  
à me tentator: meque quem debo cultum & reverentiam  
Deo & Saluatori meo exhibere permitte. Ego vero me à  
lectulo paululum se iunxi: cæterum ille remoto præsidio  
nulla ratione potuit languens & effætum corpusculum à  
culcitra subleuare. Cæpit tamen pedes suos in terram pe-  
detentim demittere: quos cum alius quidam familiaris  
eius Pisarzeroslei in lectulum reponeret, zelo maximo di-  
uini honoris inflammatus, manibus eum à lectulo cona-  
tus est remouere, Dimitte me , inquiens, dimitte me : ut  
supplicis in morem, debitum Deo meo honorem in terra  
prostratus exhibeam . At cum aduenisset tempus Eucha-  
ristie sumendæ, nullis precibus, nulloque nostro conatu  
aut contentione retineri potuit in illo suo summo languo-  
re, quominus è lectulo in terram se demitteret, & quan-  
tum poterat demisse humiliterque Dominum venientem  
in domum suam reciperet. Absoluta tandem peccatorum  
suorum confessione, pectus suum sine intermissione ver-  
berans, & cum Centurione lachrymis fletibusque per-  
sum ac interruptam orationem fundens, Domine non  
sum dignus &c. signoque se Crucis muniens, panem illi-  
lum

sum Angelotum sacratissimum accepit, & in lectulum se  
tandem reponi passus est, quod reliquum erat Missæ sum-  
ma cum attentione audiens. Absoluto Missæ sacrificio pa-  
rum aliquid cibi refectionis gratia accepit. Deinde Sa-  
cramentum sacrae & extremæ Unctionis impartiri sibi pe-  
ciuit: quod extreum officium perniciente loci Curato,  
ut ego illi manibus meis licet indignus impartire, ad per-  
petuum meum erga ipsum cultum & obsequantiam pri-  
orie pertinere putau. Ipse vero iniuncto quodam animi  
robore sacrum illud oleum aspiciens, & ad eas quæ reci-  
tabantur ex Sacerdotah Rom. orationes accuratissime re-  
spondens, apertumque pectus ostendens, quale semper in  
omni vita sua gerebat, seque quantum poterat in omnes  
partes reueluens, & membra ad suscipiendam sacram il-  
lam armaturam offerens, summa cum attentione maxima-  
que ceremonia sacramentum illud extremæ unctionis de-  
uotissime suscepit. Deinde cum paululum à labore respi-  
gasset, oculos ad vniuersam familiam conuertit: quam cum  
in terra prostratam, orationesque fundentem & plangore  
maximo lamentationeque cubiculum complentem aspe-  
xit, ab omnibus in vniuersum condonari sibi petiuit, si  
quenquam vñquam in aliqua re offendisset; seque vicissim  
omnium erroribus veniam ex animo impetriri professus  
est: ad extreum etiam sacra sua & impolluta manu altius  
ut poterat eleuata, ternis vicibus benedixit, dicens: Domi-  
nus vos benedicat, Dominus vos custodiat, Dominus vos  
ab omni malo conseruet. Qui tum fuerit eiulatus omnium;  
quæ profusio lachrymarum, qui singultus & gemitus, si ad-  
huc in oculis meis lachrymæ, quas plurimas in illius tem-  
poris commemoratione, & in his meis acerbitatibus effun-  
do, aruissent; coram oculis tuis quantum calamo & atra-  
mento possem, repræsentare contendrem. Sed vidit eas  
Dominus & Angeli eius: cadentes in tanti viri morte gut-  
tas numerarunt. Plane fecerunt omnes planctum magnu-  
super ipsum: sicut olim super Stephanum vi. i timorati fe-  
cisse

cisse leguntur. Accēpta benedictione sacerdram eius manū  
omnes ex ordine sumus deosculati. His omnibus ad eum  
modum peractis, totam mentis animique sui contentio-  
neni vir diuinus ad orationem conuerit, & Primam,  
Tertiam, Sextam, vt vocant, deuotissime attentissimeque  
recitauit: subinde Virginis gloriose & intemeratae Dei  
genitricis Mariæ intercessionem implorans, vt sibi viam  
ad perpetuas Niues, & sempiterni temporis refrigerium  
orationibus suis patefaceret. Cum autem ad Nonam ven-  
tum esset; sufficit, inquit, iam non dicimus Nonam. Postea  
me accersito, de quibusdam adhuc rebus animo plane præ-  
sentissimo mandata dedit: & inter alia vt opera Diui Au-  
gustini, cuius in omni vita sua semper fuit studiosus, Tho-  
mæ Tretero familiariter dilecto cederent, ordinauit: ea ve-  
ro quæ Thomas habebat, Zolcinio assignauit. Quoniam  
autem Episcopus Nepesinus triduanas per omnem dice-  
cesim suam supplicationes pro salute salutaris Ecclesiae  
Dei viri instituerat; accidit vt hoc ipso temporis momen-  
to penes palatum transirent ad ecclesiam Beatæ Virginis  
puellæ quædam virgines non paucæ, cantantes Litanias,  
& valetudinem cardinalis castissimis labijs Domino com-  
mendantes. Quarum vocem cum audiuisset, quæsivit  
quænam essent ista Cantica. Egovero quod res erat dixi,  
quo modo Episcopus publicas supplicationes instituisse:  
& quod voces quas audiret, erant voces castissimarum &  
Deo amabilium virginum, pro salute & incolumitate sua  
Deo, & gloriofissimæ Virgini Mariæ supplicantium. Ille  
vero vehementer exhilaratus, eleuatis in cœlum mani-  
bus, magnas, ait, ago gratias Episcopo, & ipsis virginibus,  
& omnibus, qui pro me misero peccatore sollicitudinem  
istam capiunt: scio quod magnum pondus habere apud  
Dominum castissimarum virginum, & inuocantium pue-  
rorum orationes consueverunt. Sed nihil aliud ego volo,  
quam quod tu vis Domine. Fiat voluntas tua. Ne momen-  
to quidem temporis viuere cupio, vltra quod constituit

C mihi

mili Dominus. Paratum cor meum; Paratum cor meum.  
Iussit deinde Dominicæ Passionis historiam legi: in qua  
cum ventum esset ad eum locum, vbi Petrus Apostolus  
Christum negasse perhibetur, & P. Oliverius Domini er-  
ga ipsum misericordiam & ignoscendi facilitatem, tum  
& hoc quoque pluribus verbis commemorasset, quod  
Cardinalis numquam per Dei gratiam Christum negas-  
set, nec vñquam de nomine eius erubuisse, sed aperte po-  
tius coram hominibus, & coram omni ecclesia malignan-  
tium, & vbi cumque id officij ratio, & incredibile animas  
Christo lucrificiendi desiderium requirebat, confessus,  
haereticos præterea quod Christum negassent, in omni-  
bus dictis & scriptis suis constanter & intrepide perseguu-  
tus esset: eleuatis in cœlum vir diuinus manibus, alta vo-  
ce dixit; Christe fili Dei viui, tu scis quod ego te, nomen  
que tuum non negavi: tuum enim hoc esse beneficium lu-  
bens agnosco, agoque tibi hoc nomine summas gratias.  
Absit à me, absit ab animo meo, vt te negare vñquam vo-  
luerim. Quoties autem siebat nominis Iesu commemo-  
ratio, toties languentem atque deficientem dexteram ad  
caput attollens, pileolum de nitentibus comis, in hono-  
rem huius sacratissimi nominis deponebat. Cum alapæ  
mentio facta est, os ipse quoque suum eleuata manu ver-  
beravit. Vbi vero flagella & spinea corona commemo-  
ratur, & P. Oliverius acerbitudinem illius doloris, quem Sal-  
uator noster pertulit, ob oculos poneret, atque ad forti-  
ter ferendam mortem, & quidquid tandem Dominus  
permisisset, adhortaretur, Cardinalis respondit; Fortiter  
& constanter, Fortiter & constanter. Cum autem ad illa  
verba ventum esset, vbi Dominus spiritum emisisse legi-  
tur, ad parietem capite paululum conuerso, alta voce, ita  
vt ab omnibus exaudiretur, Dominicam orationem &  
Angelicam salutationem articulatim distincteque recita-  
uit. Illud identidem commemorans, O crux aue spes vni-  
ca, O crux aue spes vñica. Tum & illad; Per passionem tuā  
Christe

Christe salua nos. Tum & illud; Iesu Christe fili Dei viui  
miserere mei. Tum & illud, quod in omni vita sua in ore;  
atque in animo suo perpetuo habuit; Mane nobiscum Do-  
mine, Mane nobiscum Domine. Crucifixi præterea ima-  
ginem sic amplexbatur, sic in manibus habebat, sic clau-  
rum vestigia osculabatur, vt plane ostenderet, quam ar-  
dētibus erga Deum fuerit in omni vita sua charitatis igni-  
bus inflammatus. Iussit postea ad se nepotes suos quos  
charissimos habebat accersiri, quibus ad lectulum prostra-  
tis, & lachrymas profoundentibus, sacra sua manu in caput  
Domini Stanislai Hosij de Bezdān imposita, sanctam suā  
benedictionem omnibus impertivit. Tandem autem ora-  
tionibus quæ legebantur à P. Oliuerio intentus, & signo  
sanctissimæ Crucis pectus suum frequenter muniens, at-  
que ad pleraque etiam respondens, cum aliquoties illa Sal-  
uatoris verba detinisse iteraslet, In manus tuas com-  
mando spiritum meum; Iesu quoque salutare nomen in-  
uocaslet, percontantique Patri Oliuerio num quæ lege-  
bantur omnia intelligerer; bis ac ter respondisset, Intelli-  
go, Intelligo: postquam prorsus omnia quæ pro animas  
commendatione præcipit Ecclesia, lecta peractaque suis-  
sent, illo ipso Beatae Virginis Mariæ festo, quod in Non.  
Aug. inciderat hora nona qua spiritum suum Dominus in  
Cruce emisisse legitur, plenus dierū & gratiæ Dei, plenus  
omni sapientia & intellectu, in senectute bona, quietissi-  
me & placidissime obdormiuit in Domino. Quæ sequun-  
ta sunt, non calamo & atramento, sed lachrymis tibi scri-  
berem si legere posses. Hoc unum addo, quod in huius  
tam sancti, & in omne tempus laudati Cardinalis transitu,  
re ipsa cognoui, preciosam esse mortem Sanctorum in con-  
spectu Domini. Tum & illud verissimum esse deprehendi,  
quod à quadam S. Patre dictum est: Non potest male  
mori, qui bene vixerit. Plane enim fuit cōsentīens initijs vi-  
tæ exitus. Plura non possum in hoc meo incredibili & vix  
viquam consolabili dolore. Nam & oculos meos ista com-

memoratio aeternu debilitauit, & manum dolore impediuit. Amisi ego patronum beneficentissimum. Amisit Ecclesia defensorem acerrimum. Amisit patria ciuem prudenterissimum, Amisit Roma Cardinalem sanctissimum. Amisit orbis christianus ornameatum maximum. Amisisti tu amicum benevolentissimum. Et putas iacturam hanc siccis oculis commemorari posse? Quamuis ego potius dicam, non amisimus sed praemisimus in æterna tabernacula, vbi nunc & in sempiternum tempus pro nobis & pro vniuersa Ecclesia Deum patrem misericordiarum de precabitur, sicut in carne viuens incredibili animi contentione deprecati consueverat, vt ne sit amplius inter nos Iuda & Israel, Roboam & Ieroboam, Hierusalem & Samaria, sed vt sit multitudinis credentium cor vnum & anima vna, vt sit vnum ouile & unus pastor. Tum etiam vt nos qui viuimus, qui residui sumus, studia nostra omnia ad Dei laudem & gloriam conuertamus: & vt antequam moriamur, moriantur in nobis vitia. Hoc enim intelligentissimi quique viri, atque adeo Vrbs vniuersa uno ore loquitur, quod statim vt ex corporis sui domicilio illa Deo amabilis anima excessit, in Beatorum sedes translaatvitæ coronam accepit: cum ob immensam & infinitam Dei misericordiam, in qua semper omne salutis suæ firmamentum collocare consueuerat: tum ob vitam in timore Domini, & in custodia mandatorum eius, ab ipsis incunabulis usque ad ultimum vitæ diem, fideliter ac religiose actam, laboresque pro Ecclesia Christi magno cum fructu utilitateque suscepitos: tum vero etiam, quod si quam illius splendori labeculam humanæ conditionis infirmitas aspersit, sicut ante dies aliquot apud Illustrissimum Dominum Cardinalem Senonensem, in signatura, vt vocant, Officij S. Pœnitentiariæ, viri quidam virtutis & sapientiae laudibus celeberrimi, presente me retulerunt: ac idem ante multa saecula plerisque alijs sanctissimis & laudatisimis viris, ex Ecclesiasticis Annalibus accidisse memorarunt: quem in

in vniuerso vitæ cursu totis septuaginta sex annis num-  
quam in corpore suo senserat, acerbissimus ille ac prope  
intolerabilis cruris dolor abstersit atque expiavit, vt ne  
quæ, sicut ait Paulus, ligna, fænum, stipula remaneret, quæ  
posset ingressum illius in æterna tabernacula, in transitu  
flammei versatilisque gladij remorari. Quo nobis quo-  
que peruenire concedat, qui viuit & regnat in sæcula sæ-  
culturum. Bene vale, nosque quod facis ama, nec amare  
define, atque hanc orbitatem nostram & istam miseram  
vitæ rationem (nihil enim habeo cum Hosium non ha-  
beo) in tuis orationibus Diuinæ bonitati commenda.

Dat. Romæ XVII. Calen. Septembris, Anno MDLXXIX.

inventio. Atque quod in locis inservientibus tunc hanc non  
admittit se bene loquaciter. Secundumque illas bionis  
narrationis ex parte deo. Sicut enim dicitur ex his  
dum grecis sit. In illo enim summae habentur  
proportiones. Ite et a deo. Quia in numeris  
proportionales sunt illius in ratio. Et deo super deo  
habet rationes proportiones. Atque in ratione  
de proportionis concordat. Atque in ratione  
rationum. Quae atque nolle deo pecunia est. Deo anima  
spiritus. sed deo pecunia concordat. Quia rationes  
rationes. sed deo pecunia concordat. Quia rationes

ratio. Atque rationes. sed deo pecunia concordat.

# EPITAPHIVM EIVSDEM.CARDINALIS

IN.EIVS.TITVLARI.ECCLESIA

B. Mariæ Transtiberim, in marmore  
nigro litteris aureis insculptum.

D O M

STANISLAO. HOSIO. POLONO. S. R. E. PRESB.  
CARD. VARMEN. EP. MAIORI. PAENIT. VITAE  
SANCTITATE. ERUDITIONIS. ET. ELOQVNT  
TIAE. GLORIA. CELEBERR. CATHOLICAE. FIDEI

ACERR. PROPVGNATORI

QVI. CVM. ANTIQVAE. PROBITATIS. ET. EPIS.  
VIGILANTIAE. PRAESTANTIAM. IN. HVMI  
TATE. CHARITATE. CASTITATE. BENEFICEN  
TIA. EXPRESSISSET. HAERET. SECTAS. SCR  
PTIS. ET. CONSILIIS. SAPIENTISS. FERVEN  
TER. OPPVGNASSET. MVLTOS. AB. ERRORIB.  
REVOCASSET. GRAVISSQ. LEGATIONIB. PRO  
PACE. ECCL. DEI. CVM. APVD. CAROL. V. ET  
FERD. CAESS. TVM. PRAECIPVE. IN. S. CONC.  
TRID. PII. IV. PONT. NOMINE. FELICISS. PER  
FVNCTVS. CHRIST. REIPVB. PLVRIMVM PRO  
FVISSET. OMNIVM. VIRTUTVM. LAUDIB. ET  
EXEMPLIS. AD IMITANDVM. ABUNDANS. OB  
DORMIVIT. IN DOMINO. NONIS. AVG. ANNO  
SALVTIS. M.D.LXXIX. AETATIS. SVAE. LXXVI.

STANISLAVS. PATRVO. ET. STAN. RESCIVS  
PATRONO. BENEFICIENTISS. EXECVT.

TEST. POSS,



# PANEGYRICVS

## IN EXCIDIVM POLOCENSE

atq; in memorabilem Victoriam STEPHANI inui;  
etissimi Poloniarum Regis Magniꝝ Ducis Lituaniæ  
niæ ex potentissimo Moschorum Principe III, Cal.  
Septemb, M D L X X I X, reportatam.

*Basilij Hyacinthij Vilnenis*

Ad

## INCLYTVM NICOLAVVM GEORGII

Radiuillum Ducem Dubingæ & Bierzæ  
in Lituania.

*Accesserunt in fine nonnulla Epigrammata.*

*Cum Licentia Superiorum.*

P A T A V I I

Apud Laurentium Pasquatum

M. D. L X X X.

# PANEGYRICAS

IN EXCIDIAVM POCOCENSE  
et in memorijs Agostini STEPHANI in  
gigium Holoisitum Regis Mysie Ducis Tunc  
die ex locutione Mogioliorum Princeps III Off.  
Septembris MDLXXIX. Leboratis.

Thalid. Vndecepit. S. Iacobus.

A

INCITALM NICOLAVAM GEORGI  
Radiellam Ducum Duplices & Dilectas  
in Tigranis.

Acceditur in fine hominum Epilogus.

Cum Preciosis subelevatione.

P A T A V I I  
Vbiq[ue] Iustitiam Psalmsim  
M D L X X X

ILLVSTRISS. PRINCIPI NICOLAO  
GEORGII RADIVILLO DVCI  
in Dubinga & Bierza, Palatino Vilnensi,  
Supremo exercitus Magni Ducatus  
Lituaniæ Ductori &c. &c. Do  
mino suo clementissimo.

*Basilius Hyacinthius Vilnensis post humillimam of-  
ficiorum suorum commendationem. S. P. D.*



VM duo sint tempora Il-  
lustrissime Princeps, quæ  
i uniūcuiusq; Reipub. ad  
ministratioñe accidere et  
polsint & soleant: alterū  
pacis, alterum belli, iure  
optimo eum qui summæ  
rerum præesse debet, dua-  
bus artibus cōmuni om-  
nium consensu instruūtum esse oportet, quarum una  
pacatam atq; florentem Rempub. perpetuo conser-

a ii uare

uare, altera turbidam, bellisq; tempestatibus fluctuantem, in tutissimo salutis portu sistere docet. Harum in alterutra si antiquitatis monumenta euoluerimus quam plurimos, in utraq; uero paucissimos excelluis fe comperiemus, Difficillimum enim est aut potius fieri non potest, ut unus idemq; & bello & paci pro eo ac par est satisfacere queat, Vnde iure columna illa Imperii Romani Scipiones, Luculli, Fabii, Marcelli immortalem gloriam consequuti sunt, quod iidem & foris belli imperatores felicissimi & domi ciuitatis gubernatores praestantissimi extiterint. Quis ignorat in Gracia Periclem & Epaminondam utra laude praestanter, dubium posteritati reliquisse? Fuerunt & sunt adhuc cum in aliquibus aliis clarissimis Christianæ Reipub. regnis ac prouinciis sui Fabii, sui Marcelli, tum Lituania nostra princeps Illustrissime uel solum familiam tuam habet, ex qua ueluti ex fertilissimo quodam bellicarum atq; ciuilium uirtutum semiario sapientissimi strenuissimiq; uiri & ad pugnas tractandas & ad patriam consilio iuuādam prodeūt, Nec est quod me aliquis hac ī re auribus potius aut gratiae quam ueritati inseruire autem, cum & tu ab hoc hominum genere sis alienissimus, nec illud cuiquam mediocriter etiam in rebus nostris uersato dubium sit aut obscurum. Possem ego nunc si uelle in amplissimas clarissimæ stirpis tuæ laudes ac celebrationes oratione prouechi, ni uererer, ne si remanduam ac prope infinitam paucis (ut locus postulare

uidetur) attigerō, parum aut nihil omnino effecisse  
uidear. Te unum silentio præterire non possum ne-  
que debo, nam si tuam senatoriam dignitatem consi-  
derem, ea profecto maximis uirtutibus clarissima  
est, præstantia in sententiis ferendis singulari, in legi-  
bus patriis interpretandis peritia maxima, præclara  
in negotiis dijudicandis dexteritate, summa in dicen-  
do eloquentia, & in omnibus rebus sapientia prorsus  
diuina, quæ omnia bona ita abunde diuinitus credo  
in te collocata esse, ut parem tibi apud nos omnium  
iudicio habeas neminem, Quid de imperatoriis arti-  
bus & ornamentiis dicam? Est tibi scientia in milita-  
do, consilium ad futura prouidenda, industria ad præ-  
sentia perspicienda, labor in enitendo, celeritas deni-  
que in bello & fœliciter suscipiendo & fœlicius agē-  
do & fœlicissimè confiendo. Quibus eximiis tuis  
uirtutibus Rex adductus uniuerso ordine cum equi-  
tum tum senatorum exoptante, tibi uni hac tua æta-  
te iam propè decrepita imperatorum munus delega-  
uit, & exercitum omnemq; florem nobilitatis Litua-  
nicæ sub fœlicibus suis auspiciis ducendum commisit,  
non addubito prospere omnia tuo ductu succes-  
sura esse, Neq; uero eum sefellit opinio, talem enim  
te (ut auditum habeo) in munitionibus illis & omni  
districtu Polocensi recuperando præstisti, qualem  
familiae tuæ innata præstantia à te requirebat, & pro-  
pria tua uirtus suo prope iure efflagitabat. Cuius qui  
demi expugnationis ac uniuersæ uictoriæ rem gestā

cum partim ex literis amicorum accepisse, partim  
ex præsenti sermone isthinc in Italiam commætium  
etiam didicisse, gratia Deo Opt. Max. ut par erat  
habita atque peracta, inuasit cupiditas quædam Mu-  
fas meas gratificandi hac in re patriæ in primis ui-  
trici, tum Serenissimo Regi, qui de tanto Tyranno  
sæcliciter triumphauit. Et quamuis seriis aliis studiis  
occupatus essem, his tamen paululum sepolitis, ad ista  
mansuetiora me retuli, remq; tantam, pro tenuitate  
ingenii mei successiva opera aggressus sum, Cumq;  
iam propemodum summam manum imposuisse, ti-  
bi Illustrissime Princeps hanc meam qualem cunque  
operam duabus causis impulsus consecrandam esse  
duxii. Primum quod nihil mihi antiquius uidebatur  
quam ut iis qui rei gestæ non solum interfueret, uerū  
etiam praefueret, idem eiusdem literis scriptisq; prodi-  
ta, & ueluti uiuæ ac spirantis cuiusdam imaginis opti-  
mus esset & testis & acerrimus propugnator, Dein-  
de cum multo iam tempore ob tua singularia in me  
beneficia, aliquam saltē grati animi significationē  
tibi cuperem declarare, inanibus id assequi literis mi-  
nimè decorum arbitrabar, exemplo eorum nūhi pro-  
posito, qui nunquam immunes planè in conspectum  
Deorum prodibant, quare cum nihil aliud in prom-  
ptu haberem, hoc munusculum proprio labore com-  
paratum offerendum putaui, Quod quamuis exiguum  
& ampleitudine tua indignum esse censeam, ut reuera-  
est, tu tamen Mecœnas omnibus principis titulis or-

natissime, ut memorie proditum de Persarum Rege  
qui aquam sibi à quodam porrectam hilari uultu ac-  
cepit, ita uoluntatem meam non ex rei sed ex animi  
magnitudine emetiaris, Quod si te fecisse intellexero  
enitar profectò ut posthac Deo auspice maiora qua-  
que audacius aggredi non dubitem. Vale Patauii  
III. Kal. Maii. MDLXXX.

AD T. A. M. E. G. L. R. I. C. O.





III. XIX. M.DXXX.

## DE SVO PANEGYRICO.

Talia dum cecini Pelidae qualia Achillis,  
Qualia et Aenea gesta fuere pii,  
Hoc doleo (at frustra) quod talis carmine non sim  
Qualis Homerus erat, uel Maro qualis erat,  
Me tamen inuitum patriæ stimulauit quantis  
Talia et unus bonus pangere, et unus amor.



## P A N E G Y R I C V S.

Grandia fama uolans tenuem cantare pudore,  
Incitat abiecto, Lituana gentis ab ora  
Materiem laudū promens, Stephanumq; Polonum  
Extollens Regem sublimia ad aethera factum  
Victorem ex Moscho magna uirtute Tyranno.

Dacaptis facilem cursum faueasq; labori  
Maxima pars bellī, Lituuum clarissime gentis  
Dux Radiuelle, regens excelsa palatia Vilna.  
Euganeis siquidem sunt nostra manibus uno  
Dicere Viliades tantum ausa te auspice bellum.

Axe sub Arctoo procul hinc septemplicis Vrsa;  
Rhipheis regio est semper subiecta pruinis  
Fontibus insignis Tanais; quam barbara Moschi  
Gens colit, à Scythica ducens uitamq; genusq;  
Progenie, at fidei cultum ritusq; sacerorum  
Acceptos Graiis referens, patribusq; Pelasgis.

Hanc premit imperio ueterum prognatus herili  
Dux de stirpe ducum, uitiis bene notus auorum,  
Notior at propriis, factaq; tyrannide clarus,  
Qui propria nunq; contentus uiuere sorte,  
Uiuere natura iniustis stimulante rapinis,  
Vi partim rapuit turpi qua non sua; partim

A Pro-

Proxima Sauromatum sibi iunxit castra dolosis  
Insidiis, ac mille neces, stragesq; nefandas  
Edidit, immensamq; tulit prædator opum uim.  
Crimine de populi iustas hostilibus armis  
Exoscente Deo panas, patriaq; ruina  
Publica (prob dolor) emendare errata uolente.

Et sauiret adhuc magis horrida bellua nostris  
Pasci assueta bonis, præda infatiabilis omni,  
Ni Deus omnipotens precibus fortasse piorum  
Mitior: auertens instantia funera regno,  
Pastorem populo cœlo misisset ab alto,  
Quo Duce Sauromata renouatis uiribus hostem  
Audaces contrà progressi, antiqua trophya  
Et priscos ferrent prisca cum laude triumphos,

Sed qua causa fuit belli, qui in bella fuere  
Exciti proceres, fando mihi pandite muse

Postq; res lecto composta Rege Polonum,  
Iamq; quiescebant urbes, iam pristina uirtus  
Reddita erat populis tot rerum incommoda passis,  
Omnis in hoc steterat labor, & q; maxima cura  
Regis; ut iniuisam possit superare duello  
Sauromatis gentem, clademq; auertere sceptris,  
Anxius hoc animo uigilans, hoc uersat & alto  
Correptus somno, & iam iam referentia uerum

Bel-

Bella uidet bellum, castrisq; simillima castra,  
Et fusas acies, & uictum cogitat hostem.

Tempus erat, quo pris corum de more parentum,  
Consilium patria latus maximus ordo  
Et minor, arcana in penetralia uenerat aula  
Principis, ut meritusq; suo apta sedilia honori  
Accipiens magnum compleuit uterq; senatum,

Tunc Rector populi folio sublimis ab alto,  
Facundas cupido fundens de pectore uoces  
Omnibus intentis animo sic ore locutus.

Sauromatum proceres regni pars inclita, quoru  
Optatis teneo uotis hac sceptris, caputq;  
Imperii porto uinctum diadema claro,  
Qua duo solliciti pertentant munera mentem  
Principis, ad rerum summam cum laude tuendam,  
Ut sit sana bene interno Res publica semper  
Viscere, & à quo uis fæliciter impete tutu  
Sic animu gemina hac nostru quoq; cura remordet,  
Cordaq; sollicitat nimis, & præcordia uexat,  
Prima cupit leges seruari ciuibus aquas,  
Iustitiamq; coli, & diuum uenerarier aras,  
Altera uult armis (alio si non datur ullus  
Auxilio locus) hostilem sedare furorem,  
Artibus hisce stetit Res publica uestra duabus

A 2 Re-

Regnicola, & stabit me Rege, iuuanteq; Rege  
Æthereo, si mens uobis si recta uoluntas,  
Atque aderit rebus concordia iuncta gerendis.

Hactenus interni placuit quodcunq; negoti  
Et causa fuerat iusta componere lege,  
Debuit hostis adhuc detrudi finibus, & qui  
Armis non potuit certis tantummodo pactis  
Auersus regno: dabitur Scytha tempus at olim  
Non impunè feres quo tantam prædo rapinam:

Nūc nisi pax supereft ex Moscho optāda perēpto,  
Aut saltim afflīcto, nec enim mens altera nobis  
Sufficit auxilia, & fundendum iura cruorem  
Sancta docent illi, qui primus fuderit ipsum.

Vobiscum mihi res Lituui, nam uestra priorum  
Res agitur, uobis rapuit preclara Smolensci  
Huius castra parens Seuerensiæq; arua Tyranni.  
Ite suis titulis erepta Liuonica uobis  
Addidit imperia, & cum castris gaudet adempta  
Vrbe Poloscorum, Russisq; exsultat opimus  
Latro bonis, uos hac mala uestra miserrima tangat,  
Sic tangent alios, grauis est mihi credite causa.

Vitoldo placuit uestris cum patribus olim  
De leuibus rapto ablatis (iniuria pluris  
Quam damnum magnis animis) hostiliter hostis  
Agros

*Agros uastari: uobis pradone Tyrannus  
Sanior hic omni princeps, tot castra, tot urbes,  
Tot populos, bona tot, charos etiam tot amicos,  
Excidit, rapuit, fudit, tulit, atque reuinctos  
Abduxit, nec adhuc uos hac iniuria tanget?*

*Olim (fama refert) uobis dum nullus in usu  
Ensis adhuc fuerat sudibus pugnasse praeftis,  
Stipitis et duri (tactu insanabile) nodis,  
Atramen eratas uili superasse cohortes  
Arbore; nunc adsunt hastilia, tela, pharetra;  
Inq; hostem nec adhuc patriæ prodibitis armis  
Arreptis? frustra nitidis depicta tabellis  
Stemmatu de uobis hoc promittentia uestra?*

*Reddere sollicitos si uos hac intima nolunt,  
Me mea sollicitant, nec enim quod temnor ab hoste  
Ferre queo patiens, ibo atq; celerrimus ibo,  
Regaliqu; meum caput hoc diademate cinctum  
Obiectabo libens morti, si regius iste  
Legitimus sit bonus, uelut est, uictoria certè  
Nostra manet, stabit Rex, corruet ille Tyrannus.*

*Est mihi Pannonius patria spectabilis hasta,  
Et duro peditum praclarus acinace nimbus,  
Quos inter medius uestrum moriturus in hostem  
Rex ibo uester, cui cordi fama sequatur.*

*Hac*

Hac ait; at placidas sermo suscep<sup>t</sup>us in aures  
Desidiam pellens animis incendia uoluit,  
Non secūs ac cineri merso de fornite uentus  
Cum facit ardentes flamas, atq; excitat ignes.

Iamq; accenduntur vesani Martis amore  
Heroes, uertuntq; animis horrentia bella  
Vnanimes Regemq; sequi, Regemq; tueri  
Et patriam cupiunt propria defendere dextra.

Tunc pars Lituani Radiuillus prima Senatus  
Suada cui dulcem concessit in ore loquela  
Cæpit pro reliquis regi responsa ferendo.

Non sic immemores sumus ò Rex maxime nostri  
Non adeò silices gestamus peccore duros  
Lituani: prob tangunt nos communia tangunt  
Fata, tuoq; ingens iniuria facta decori  
Quis neget in mortem pro libertate ruendum?  
Milleq; pro patria casus ē funera mille  
Esse libenti animo toleranda? ubi regia uero  
Nomina eunt pessum, patria quis credat honorem  
Sic non imminui? qua salua, te quoq; saluo  
Rex stamus celebres, amissis labimur omnes  
Ergo age Dux nostram, restaurature ruinam  
Fælix incipias in me mora non erit ulla.

Hac postq; princeps ē honore senator ē armis  
Dixerat

Dixerat; applaudit, uotoq; insistit eidem  
Ordo Senatorum & Lituanae catena gentis  
Turba feruntq; Ducti sua nomina, dantq; suorum  
Non aquum numerum, sed prout sua cuiq; facultas  
Ille decem, hic centum, quingentos alter in armis  
Ducturum iuuenes promittit Marte feroce.

Adiungunt socios se se (quos unio genti  
Æternum stabilis iunxit mansura) Poloni,  
Sapius in campis assueti fundere apertis  
Barbaricas acies, dum robustissima quondam  
Arma ministrarent Litanis, ultròq; subirent  
Vicinum in bellum. Rex tot latatur adeptis  
Nominibus, uotoq; potitus in omnia fertur  
Gaudia, regificoq; parat coniuicia luxus  
Et iubet Heroas positis accumbere mensis  
Argento nitidis, fuluoq; micantibus auro.

Centum aderant intus iuuenili flore ministri  
Purpurea cuncti fulgentes ueste, comaq;  
Conspicui, manibus queis munus fundere lymphas  
Et mensas epulis cyathosq; onerare Lyao.

Postq; discubuere omnes ex ordine lati  
Coniuia libant regalis munera mensa,  
In longumq; trahunt tariis coniuicia dictis  
Et retegunt artes nondum deuincere Moschos

Affue-

*Assueto Regi, & fallacia pectora monstrant.*

*Hic narrat decies octo sub manibus Orsa  
Millia qua ratione suo uictore parente  
Casa uirum fuerant, proprio ter denaq; ductus  
Ut fuerint superata suo, Magnumq; Suis cum  
Demissum nigras memorat Phlegetōis ad umbras  
Nec reticet clari(qua laus sua) funera Tauri.*

*Ille fera quantum ualeat ui in manibus hostis  
Tutandis, pressa quondam infœliciter Vla  
Monstrat ab exemplo, prodit Starodubus ab isto  
In medium, laudatur Constantinus & alter  
Victor, & excisor populi Tarnouius heros  
Commemorant alijs Vitoldi insignia gesta,  
Olgerdumq; alijs laudant, alijsq; Iagellum*

*Talibus adiungunt tarda longissima cœna  
Prandia colloquijs, ubi cessauere frequentes  
Munera regalis mensa portare ministri.  
Relliqui&q; dapum, patina, quadraq; remotæ.*

*Largius implentur Baccho cellaria qualem  
Seruant in uasis magnum Geranona per annum,  
Sceptrigeroq; Duci plenis promore culullis  
Optant exhaustis longuos Nestoris annos,  
Victoremq; truci diuunt ex hoste futurum.*

*Hac ubi facta suas proceres ueriuntur ad ades  
Arma*

Arma paraturi bellis, aptosq; cruenta  
Lecturi iuuenes pugna, dextri aq; ualentes.  
Iamq; laboratur rutila fornace recocitus  
Arte chalybs hosti uulnus lethale daturus,  
Sublatus magnum multa ui malleus ingens  
Emittit sonum prauasta incude cadendo,  
Tegmina pars cudit uentri, clypeosq; micantes  
Mille modis, galeasq; leues, duroq; bipennes  
Ex ferro nitidas, parsenses altera uoluit  
Vulnificos, ferrumq; hastis prafigit acutum,  
Exacuant alii dura penetrantia cote  
Spicula, & incurvant arcus, uolucresq; sagittas  
Inficiunt succis, Scythico tinguntq; ueneno,  
Bombardas alii flamasq; globosq; uomentes  
Expediunt, melius queis corruat hostica pubes,  
Exercentur equi gyro, faciliq; rotatus  
Indomitos Moschi assuescunt superare caballos,  
Tiro domi ueras ueluti referentia pugnas  
Cit simulachra nouis iuuenis spectatus in armis,  
Arte rudes animos insuetaque corpora Marti  
Versat equo cursans, & ui, & conamine multo.

Est urbs progressu distans clarissima longo  
Vilna caput Lituani vicino proxima Moscho,  
Vib; fluui dupli, dupli fortissima castro,

B Dives

Diues opum, Bacchi & Cereris celeberrima donis,  
Plena uiris, Martis studiis & clara Minerua.

Huc Rex se confert patria comitante caterua,  
Lustret diuerso ut peditum distincta colore  
Agmina, in excidiumq; hostis paret æra superbi,  
Cui iustas operi tota gens plurima regno  
Suppeditabat opes bello non apta gerendo.

Centum aderant uariis incudibus arte magistri  
Vulcani celebres, totidemq; laboribus aptos  
Quisq; sibi socios retinens, totidemq; ministros.  
His Rex barbaricis fatalia cudere muris  
Protinus æra iubet magnos resonantia bombos,  
Tunc illi celeres uasta fornace metalla  
Abscondunt, flamasq; parant, flammisq; ministrant  
Nutrimenta, per angustos petit alta caminos  
Fumus, at ignito grandis carbone liquata  
Funditur artifici semiusto massa meatus  
In longos, formamq; rude as acquirit eundo,  
Exurgunt moles, nunq; Cyclopes in antro  
Præside Vulcano quales fabri casse putarem:

O dolus, o priscis incognita machina seclis  
Offendens sonitu aures, flammis lumina, nares  
Puluere sulphureo, præuasto corpora ferro,  
Turritas urbes, murataq; mania quassans.

Per-

Peruigil interea uersat noctesq; diesq;  
Rex animo, dirus bello qua parte sit hostis  
Oppugnandus, at in tanto sententia uisa est  
Hac potior dubio, ut quas sunt propiora Polosci  
Castra forent armis primùm repetenda, potestas  
Sic facilis quauis tentandi deinde daretur.

Accersit Skyminum, quem nomina clara leonē  
Esse uolunt, mitem sed facta decora columbum  
Serpentemq; notant, sit ei quod rebus agendis  
Dexteritas, animusq; uigil, praeclaraq; cura.

Huic tacite uersus nuper fabricata Poloscum  
Aera celer moneat, tūm belli cuncta futuri  
Instrumenta, uiarq; struat, sed quō sit eundum  
Dissimulet prudens, is Regis iussa capessit.  
Saxa uiis curat prosterni, ne qua rotarum  
Hæreat in limo nulla ui mobilis alto,  
Innumeris ducuntur equis tormenta quaternis  
Nixa rotis, unaq; ingentia plaustra trahuntur  
Plaustra globis, plumbo, & migranti puluere onusta  
Hinc atq; hinc peditū sequitur numeroſa caterua,  
Et quibus officium adiectis onerata fauillis  
Exonerare globos tormenta uomentia uastos:

Iam Rex eratas acies ducturus in hostem,  
Armaq;, non fidens multūm mortalibus armis

Atq; uiris (neq; enim humano uictoria parta est  
Consilio aut armis unq;, sed numine Diuum  
Auxiliante) Dei templis pietatis auita  
In morem sacrum sacros indicit honores,  
Ipse met exemplumq; suum pia turba sequuta  
Thura cremant aris, irataq; numina placant.

Prima dies fuerat Quintiles ante calendas  
Grandia qua ductor numerosa mania Vilna  
Liquerat, & secum fulgentes are cohortes.  
Insignes & equis, & dextra duxerat acres.

Exciti ueniunt proceres cum milite multo,  
Et dominum regni facturum bella sequuntur;  
Rector apum ueluti solita statione relicta  
Exit cum primo uisurus gramina uere,  
Aut fucos hostem pulsurus sede rapacem;  
Nobile uulcus apum portis erumpit apertis,  
Et stipare Ducem properat densissima circum  
Agmina conficiens, rectoris proq; salute  
Obiectare parat, dira sua corpora morti:  
Talis erat Litauum (ò pulchrum) generosa propago,  
Tamq; Ducem comitata suū bona turba frequenter,  
Et tales animo curas pro Rege tenebat.

Occurrit primus nitidis Radiuillus in armis  
Caniciem occultans clypeo, atq; senilia duro

Mem-

Membratagens ferro, Litaum lectissima pubes  
Quo ducenre fuit nunque deuicta duello,  
Hunc sequitur sanguis Raduillius alma iuuentus,  
Et nati bini, binique ex fratre nepotes,  
Absentumque senex (tenuit quos Regis Iberi  
Aula frequens) iuuenes in pralia ductor agebat.  
Ac regi: en tibi promissas Rex optime duco  
Expertas belli turmas, ac cadere suetas  
Hostiles acies, en sunt delecta nepotum,  
Agmina, qua proprio tu Ductor lumine lustra.

Incedunt gemini charo cum patre patremque  
Alter consilio, dextra domitrice sed alter  
Moschorum referens, praclarus milite, uterq;.

Hinc alter properat lumen Raduillus ausorum,  
Victor ouans Populi, Portansque in pectore Christum,  
Stipatus iuene insigni, quo insignior alter  
Non fuit, ille Deos (nec enim mortalia tantum  
Bella decent dominum) belli ornamenta futuri  
Ducere uisus erat, gemmis, auroque coruscos,  
Lucebant ita Di terris ut sidera celo  
Ipsorum calo lucent, radiisque coruscant.

Huic frater iuxta, rediens qui nuper ab oris  
Ausonis Ausonios gestabat corpore uultus,  
Acer equo, & rapido furibundi Martis amore

In-

*Incensus, cuius dextra certare paratus.*

*Ostentantq; Duci tercentum robora pu' s  
Quisq; sua, qualem Teucro comes additus olim  
Pallas Aenea Rutulos non duxit in hostes.*

*Rex Radiuillorum splendorem assuetaq; Marti  
Corpora, laudandoq; stupet, laudatq; stupendo.*

*Post hos Kisska potens armis Mauortius heros  
Victores ostentat equos, iuuenesq; superbos  
Pelle sobellina, pietaq; in ueste decoros,  
Nescio qua Diuum quo fato numina tanto  
Offensa heroi, pluuias misere cadentes,  
Impete cum subito, fit magno peruvia nimbo  
Pulchra chlamys, stillant preciosis pellibus unda,  
Vertitur in nihilum labor, aris pondera multi  
Magna ruunt, tanta non percitus ipse ruina  
Diuitiis fidens faciem frontemq; serenam  
Magnanimus monstrans, regi sic ore profatur,  
En madefacta licet Rex cernas membra meorum,  
Aethereo loue forte bonis obsistere nostris  
Sic cupiente, tamen firmum stat pectore robur  
Cuiq; suum, solidaq; manent in corpore uires.*

*Parte alia uenit Hlebouius pulcherrima proles  
Hlebonum, eloquio celebris, formaq; uenustus,  
Fertq; manum iuuenum, fertq; alto pectore mersas  
Iras*

Iras in Moschum, stimulant in pralia saeum  
Vindicta, Escapo sibi ab hoste illata tyrannis.

Sbarauius quoq; adest praetara palatia Troci.  
Qui regit, Eustachiusq; tenens castella, senator  
Regis uterq;, decorus uterq; senilibus annis,  
Clarus uterq; uiris in pralia fortibus actis.

Hos sequitur p̄stans rigidis Dorhostaciis armis,  
Cui dederant Polocensa diu palatia nomen,  
Sed nondum imperii quicq; possessor habebat,  
Nec uana tamen is uadit spe elatus habendi  
Spectatam ducens telis pharetrisq; phalangem,

Producit pedites à bello nomina dicta  
Voina ferens, cuius cura commissa fideli  
Gazam icat Lituuum fuluoq; nitescit ab auro  
Quem penes it bello Voinorum clara propago  
Id factō præstare uolens, quod nomina dicunt.

Nec te Constantine licet mihi Principis alma  
Ostromi soboles intactum linquere uersu,  
Nec te Tisskeui Tisskonum gloria prolis  
Eustachi, sacra fueras qui Palladis olim  
Nunc decus es Martis, ambo iuuenilibus annis,  
Ambo militibus clariq; nitentibus armis,  
Macti animo iuuenes, hoc itur ad astruiarum  
Tramite, sic patres, Gaui, proauiq; sequuntur,  
*Discite*

*Discite Martis opus Stephano tolerare magistro,  
Addiscent alii uobis tolerare magistris.*

*Hos super adueniunt: Gradiui Martis alumni  
Chotcouii nitido fulgentes are, sagisq;  
Bis centum iuuenes, instantis fulmina belli,  
Sed tristes nimium domino ductore carentes,  
Ductor at infalix morbo detentus acuto,  
Infensusq; sibi proprio sic ore fremebat.*

*Dum patrios alii lati gradiuntur in hostes,  
Solus ego molli dicar decumbere lecto?  
Fingere uel causas, hostemue timere potentem?  
Et qui pars fueram suscepti maxima belli  
Non ero confecti? te te sequar optime ductor  
Et nitidam hanc lucem, quam forte inglorius essem  
Urbe relicturus, clara inter castra relinquam,  
Fama refert lectis quosdam pugnasse feroce.*

*Ast in hians dudum tanta mors pessima præda  
Non sequeris nec ab hoste relata trophya uidebis:  
Ecce tibi nullis hostiis superabilis armis  
Dixit ego: dictisq; intentum falce peremit.  
Hunc uos o nostra tacitum non linquite Musa  
Heroem, sed si reliquis modò non datur ullus  
Carminibus locus, hoc tumulo superaddite tantum.  
Chotconius iacet hic Lituai pars magna Senatus,*

*Præ-*

**P**raesidium patria, columen pietatis auita.

Interea Moschi non uanus rumor ad aures  
Venerat, eduxisse uirum q̄ plurima Regem  
Agmina, in excidium terra castriḡ, Polosci,  
Ille metu trepidus, rabiosa incensus & ira,  
Qua loca tutapetit lacubus praeclusa profundis,  
Et iubet ire uiros firmandis arcibus aptos  
Barbaricum pectus, stolida & sua corpora tetae  
Obiectare neci, & cuncta ui castra tueri,  
Ni faciant iussum furcasq; sudesq; minatur,  
Et quæ nec Phalaris dedit, aut Mezentius olim  
Promittit sauis uictis tormenta Tyrannus.

Præscius en subito Radiuillum educere turmas  
Rex hosti⁹ citio iubet occursare, priusq;  
Auxilio ueniat, firmetq; recentibus arces  
Præsidis, uolat is celeri comitante cohorte  
Anteq; barbaricam Litaua cupit ire iuuenta.  
At uix confiterat properans hostilibus oris,  
Hostis erat prior urbe nouus, castrumq; tenebat,  
Ut sciuit; doluit, sed ne amplius hostibus ullus  
Accessus pateat, custodit milite cauto.

Adfert auxilium Radiuillo è gente, Bekessus  
Hunnorum, cui rex patrios concredidit uni  
Ducendos equites hastis frameisq; potentes,

C Vul-

Vulnificoq; simul peditum agmen Acinace' cinctum.

Protinus imbuitur Ductor maioribus ausis  
Cingereq; aggreditur populis immane Poloscum,  
Addere munitis prohibens munimina muris,  
Atq; leui interea ciuem obsidione tenere  
Dum Rex ingenti tardus molimine uoluat,  
Arma, uiros, currus, tadas, tormenta, globosq;.

Ad regem uero ueluti cum decidit imber  
Murmure cum uasto se uoluit montibus unda  
Crebra ruens, magnoq; facit rapidissima fluxu  
Flumina; sic uariis tendens exercitus oris  
Agmina densa struit, strepitus reddentia magnos.

Conueniunt celeres Sapibi sapientia nomen  
Dat quibus, at belli exornat uictoria facta  
Oscikiusq; ferox armis, ac robore dextræ  
Inuictus, prisca stirpis generosa propago,  
Talnosusq; uir armi potens, casq; Suedo  
Clarus, audacter pugnandi Slusca peritus,  
Fortiter & Litanos doctus defendere fines,  
Tum Polubensa uolat cum cano patre iuuentus,  
Et Pronscus nitida tectus lanagine malas,  
Qui uariis orbis quondam uersatus in oris,  
Artibus ingenuis (pulchrum) se instruxit, & armis,  
Schemoti q; ruunt, Solomiriciq; sequuntur,

Illi

Illi præstantes pharetris, rapidisq; sagittis,  
At longis multum celebres hastilibus isti  
Est quibus unus amor pulchra succedere pugna  
Et conferre manum, & patriam, regemq; tueri.

Auxilio multi proceres uenere Polonum  
Quos pietas & Regis amor stimulauit in hostem,  
Imprimis decus Aonidum Zamoscius heros,  
Quo Patauum uiguit quondam rectore Lycaum  
Sublimes & adhuc muri testantur honoris  
Signa sui, gaudet quem doctum patria natum  
Nacta sibi, & nati solatia sentit amantis,  
Agmen Hyperboreos peditum producit in hostes  
Itq; latus regi socius tangendo sinistrum.

Tum quoq; Mielecius, belli cui summa potestas  
Credita, & à primo ductor ductore secundus  
Sapius expertus campis confundere apertis  
Rhipheas Scythicasq; acies, patriamq; tueri,  
Fert equitū peditumq; globū, dehinc magna sequētū  
Sauromatum prodit legio, sagulisq; nitentum.

Ad sunt sexenti pedites, quos Marchio misit  
Ex Anspach Iagellonidum de sanguine cretus  
Viribus insignes, gladiis atq; are cauato  
Conspicuos, belloq; habiles rerumq; peritos.

Quid memorē iuuenes, quos bello maxima merces

Certandi cupidos, rerum accersuit egenos?

Talibus auxilijs Stephanus tendebat in hostem,  
Et iam transferat sylvas excelsa ferarum  
Tecta, & ad insignem Cereali munere Disnam,  
Appulerat, labentis ubi duo littora portum  
Fluminis efficiunt, & agros frigentibus undis  
Aspergunt. o nympharum pulcherrima regna  
Sirenumq; domus, lata hic modulamina Regi  
Tendenti Diuæ mediis Nereides undis  
I bone cantabant, i fælix gloria princeps  
Sauromatum, decus Hunnorum, spes una cadentum  
Maior auis, at auisq; potentior. Ecce redibis  
Victricem portans regali tempore laurum.

Iamq; propinquabant, magno tormenta Polosco,  
Magnanimi q; duces, iuuenumq; exercitus omnis  
Ordine compositus, medio Rex ipse togatus  
Ut mos fert patrius, Mauortia pectora gestans  
Ibat equo, cinctus framea, iam iamq; futura  
Instructus dextram clava domitrice Tyranni.

Tolluntur Regni sursum uexilla Poloni,  
Et Lituuum Magni clarissima signa Ducatus,  
Timpana cōcrepitant, tuba, tibia, buccina clangūt,  
Insultans sonipes quatientibus aquore toto  
Versat humum pedibus, gressus glomerās q; superbos  
Æthera

Æthera replet ouans fremitū resonantia uasto,  
Concipit ingentes animos in pectore miles,  
Voluit & immensas animis ingentibus iras,  
Ardens militia, Moschosq; ferire paratus.

Verum hostes soliti quondam popularier agros  
Dum nullo fuerant tuti munimine fines  
Urbe latent, durisq; abscondunt pectora muris  
Non ausi sese uenienti opponere turma.

Haud secūs ac bene compacto seruata cubili  
Cum sensere uagi redolentia pabula mures,  
Protinus obscura linquunt in sede penates,  
Accurrunt q; fame impulsi, loca q; omnia gressu  
Pertentant celeri, num si quā rima recuruos  
Prabeat accessus multum scrutantur, ubi spes  
Perdita, quod superest, iter aggrediuntur acuto  
Dente parare, fames animos uesana ministrat.  
Tunc si forte uigil domini ad penetralia ponit  
Sentiat & lurus uim, sese attollit & hosti  
Obrepit tacito pede, dente struitq; minaci  
Insidias, penetrans nigras lucentibus umbras  
Luminibus super incatumq; uenire peroptat,  
Ille fugit, sequitur fugientem hic, atq; latebris  
Impiger assistit, mactat quemcunq; rapaci  
Dente capit, centumq; necandis sufficit unus.

Dicite

Dicite iam Musa diuino munere factus  
Ut sit Rex vicit, bellumq; ex ordine gestum  
Pandite, & in cælum uictricem tollite pubem.

Sextilis decimal lucem super addidit unam  
Cum Rex admovit Lituania manibus arma,  
Et gentem, propiusq; celer tentoria fixit  
Turribus atq; uidens densis prægrande Poloscum  
Miratur molem, miratur fortia castra.

Vrbs fuit opportuna loco, & munimine firma,  
Et numerosa uiris, & inexpugnabilis arce  
Quam sinuans hinc inde Duina Polottaq; cinxit  
Duraq; cum saxis muniuit pariete quercus,  
Extra vallum ingens, intus munimina turres  
Instructa grauibus bombardis, atq; uirum ui,  
Ac uelut ingenio fuerat uallata sagaci,  
Arteq; sublimes arces fortita magistra,  
Sic etiam docta oppugnantis corruit arte,  
Cingere nam triplici iubet obsidione latenter  
Aggereq; elato & cacis circundare fossis.

Fronte manus Litauum fuerat, cuneusq; Polonū,  
Altera Pannonicos tenuit pars, altera promptos  
Theutonicos bello, Anspachi quos miserat hæres.

Protinus implentur præuastis athera bombis  
Turri fragiq; uolat displosum ex are cauato

Gran-

43

Grande globi pondus, quassando mania urbem,  
Tecta ruunt, ingens cadit alto à culmine moles,  
Imaq; supremis miscentur, celsa profundis,  
Indigena fugiunt, & quæspes ultima castro  
Se condunt, grauiterq; uolunt defendere castrum,

Postera uix altos monstrabat lumine montes  
Orta dies, rapidos cum nostri manibus ignes  
Subiiciunt, tadasq; ferunt, sulphurq; ministrant,  
Ignis edax subito quæ sunt oblata uoraci  
Nutrimenta rapit flamma, atq; incendia miscet  
Stridula, fumantes uoluuntur ad athera nubes.

Dicitur interea Vilnam properare latenter  
Armis instructus dirus populisq; Tyrannus,  
Taluisi actutum Rex anxia pectora gestans  
Subiicit imperio florenti atate iuuentam  
Træs Viliam genitam, et uenientem mittit in hostem,  
Ille citus currit, quæ proxima semita rectum  
Monstrat iter, quis tunc esset rumor inanis  
Ne tamen incantis fallacia fata periculum  
Immittant, forti fines custode tuetur.

Audiit ex alia Rex clarum parte Philonum,  
Excidio Moschi progressum audacter in oras  
Milite cum proprio, septum leuibusq; maniplis  
Lituanum, & penetrasse sinus, Seuerensiaq; arua

Iam-

Iamq; propè antiqui sublimia castra Smolensi  
Ignibus exusisse domos, hostemq; necasse  
Aduersum, latatur ubi Rex talia gesta  
Percepit, laudatq; uirum Mauorte superbum  
Amplaq; uictori promittit præmia tanto.

Interea sicut toto cito flamma Polosco  
Nec mora consumit turres, consumit & urbem,  
Dijsq; sacras ades, pulchros fabrumq; labores,  
Fit subito locus aptus agris, locus aptus aratis,  
Vrbs ubi erat quondam sublimibus alta columnis.

Tunc magnum propius ducuntur pōdera castrū.  
Pondera fata globis & nigro puluere fata  
Succedunt iuuenes latitantes aggere facto  
Insidiasq; struunt hosti, uolitantia longè  
Spicula mittentes arcu, & lethale canato  
Ferro explodentes plumbum intutantia muros  
Corpora detruduntq; altis hostilia muris  
Agmina, præcipites miseri uoluuntur agrestes  
Illico succedunt alii, castrumq; tuentur  
Fortiter, obiiciuntq; neci sua pectora uisa  
Tormenta ingeminant ictus, tremit alta Polosci  
Machina, de summoq; cadunt fastigia castro.

Non hosti quoq; defuerant tormenta corusco  
Ære laborata, ignitas mittentia glandes

Queis

Queis pars nostrorum sedat, reprimitq; furorem  
Pars lapsas reficit turres, renouatq; ruinas,  
Et quodcūq; quatit nostrum, manus hostica firmat,  
Formicis ueluti congestum si quis aceruum  
Dissipet, incipiunt sparsos reparare labores  
Non segnesq; loco proprio sua tecta reponunt.  
Rex ubi conspexit Moschorum audacia corda,  
Robustosq; uiros, tutandiq; arte peritos,  
Infractas & adhuc bello præfortibus arces  
Exstructas muris, et adhuc impunè quietas,  
Exemplò maius concepit pectori bellum  
Ductoresq; uocat primos, queis talia fatur.

Iam rapidis totam flammis delevimus urbem  
Hostis adhuc castro latitat, firmisq; tuetur  
Præsidii castrum, nec adhuc parere fatetur,  
Nosne igitur captis uolumus desistere uictos?  
Ferre iubete faces, facibusq; reposcere fadus  
Cogite fadi fragos, aut igni exurite cunctos.

Dixerat, ast similes cursu certantibus illi  
Instant assidui, ductisq; in pectora magnos  
Adiiciunt animos, saus uolat illico miles  
Ad muros, fluuios tranans, humerisq; uehendo  
In latitadas, scalasq;, facesq;, picemq;;  
Instar remorum fluuios manus improba sulcat

D

Ec

Et quod nauigii munus fert pondera dorsum,  
Pendent parietibus scalæ, densusq; uirorum  
Contendit numerus sursum, sed barbara pubes  
Detrudit scalas muris, densamq; uirum uim,  
Accurrunt alii portis, duraq; bipenni  
Limina perrumpunt, alii dant manibus igne,  
Incensas piceas, flammæq; in culmina iactant.

Hostis tum contra nunchos, nunc comprimit illos  
Telaq; mittendo muris defigit in hoste  
Mortiferosq; globos, rutiloq; ex igne rubentes  
Fundit aquas, nitidoq; recoctas uase polentas  
(Tormenti genus) in subeuntem coniicit hostem  
Miscentur flammis undæ, creberq; uiro uir  
Parietibus ferrum, strepitus clamorq; cadentum  
Tollitur Esclaropiceus fit in aethere fumus  
Et cæcam reddunt uolitania nubila noctem.

At uix erumpens madidis suppressus ab undis  
Ignis, adit celsi fastigia summa Polosci.

Per medios tunc forte ignes conspexerat hostis  
Occultus nitidum iuuenem florentibus annis  
Horrida Gradini stimulatum Martis ad arma  
Ac prope sublimes muros audacter euntem  
Victor erat plebis, Christumq; in corde ferebat  
Dux Radiuorum præclaræ gloria gentis

Sannus

Sauus in hunc subito detorquens lumina latro,  
Applicat horrisonum ad sauisima lumina ferrum.  
Principis inq<sup>s</sup> caput fulgentis dirigit, atq;  
Scintilla explodit mixtum cum puluere plumbum  
Ecce uolat liuens rutilis per inania plumbum  
Raptatum flammis, uulnus iuueniq<sup>s</sup> daturum.  
Mortiferum, sed cœlo aliquis delapsus ab alto  
Cui Radiuillorum soboles deuota, benignum  
Est experta sibi, auertens instantia nondum  
Funera maturo iuueni, Heus Radiuilla propago  
Dixit, at is Diui dum se conuertit ad ora  
Impete terribili, crepituq<sup>s</sup>, uolatile plumbum  
Transibat leni tangendo uulnere frontem  
Concidit hic tanti pressus formidine tactus  
Tunc ille hem dixit iuuenis temeraria princeps  
Desine moliri, nec tantis te ipse periclis  
Obiectare aude, uenient uoluentibus annis  
Tempora, queis maiora tibi tentanda supersunt  
Pralia, nunc te pro rebus seruare secundis  
Seruator uoluit quem fers in pectore Christus  
Sit ait, at Diui monitis iam cautior ille  
Purpureo nineum perfusus sanguine uultum  
Latrus & exultans casu sua castra petiuit  
At rapidis miles tranatis arduis undis,

In gentem exosam furiis maioribus ardet,  
Per mediasq; ruit (uisu mirabile) flammas  
Mixtas cum flammis animas missuras ad orcum.  
Iam surgit medio strages asperima castro,  
Nec iam misilibus decernunt amplius armis,  
Cominus at dextris duros fatalibus enses  
Arripiunt, diroq; inter se mutua ferro  
Vulnera congerinant, hinc inde fit horrida pugna,  
Hinc atq; inde neces, gemitus confusus in auras  
Effertur morientum, iam ferit athera luctus.

Talia dum peditum praclare ex parte geruntur  
Scandit equis alia miles, uolucresq; fauillas  
Coniicit in turres, sausq; incendia miscet.  
Instant a tergo Ductores maxima primi  
Martis ad arma citam uerbis stimulantq; iuuentā,  
Mieleciusq; potens, pugnaq; ardens Raduillus  
Pannonicaq; ferox armis de stirpe Bekessus.

Per medias acies cunctis sublimior it Rex  
Consilio insignis, bello clarissimus, in quo  
Spes mansit patriæ, mansuraq; uindice solo.  
Prouidus ille animo res gestas atq; gerendas  
Conspicit, intentisq; oculis quacunq; geruntur  
Aduerit, crebraq; iubet properare cohorti  
Quà uidet urgeri, uel quà uidet esse patentes

Ac-

*Accessus, magnosq; animos pugnantibus addit.*

*Extemplo flammis erumpens fama uagatur*

*Quod ciues inter discordes lite suborta*

*Pars reserare uolunt castrum & se subdere Regi,*

*Pars autem lapsos pergit defendere muros*

*Vel tandem portis cupiunt erumpere apertis,*

*In certamq; necem ruere, à Litauis & inultos*

*Velle perire negant, hoc nuncia fama reportat.*

*Rex equiti subito ad pugnam iubet esse parato*

*Nomine quemq; suo compellans, atq; benignis*

*Nunc istos precibus, nunc blandè hortatibus illos*

*Exacuens, cunctis dehinc talia uoce profatur.*

*Nunc opus est animis, opus est nunc uiribus, o ges;*

*Sauromatum, Litauumq; illas nunc sumite uires*

*Atq; animos, quibus in superandis hostibus efi*

*Maiores uestri fama post funera noti,*

*Et nos Rhipheos aliis ductoribus olim*

*Atq; Boristhenidas ferro super astis acuto,*

*Pro patria certamen adest, pro Regis amore,*

*Proq; dolo rapis iniuste manibus, illi*

*Audita uirtute patrum, iustoq; dolore*

*Permoti, tollunt animos, aptantq; lacertos.*

*Nox erat, & tristis tempestas maxima noctis*

*Vexabat nullam carpentia membra quietem,*

*Den-*

Densaq; perpetuo stillabat penula nimbo,  
Attamen insomnes atrox iniuria cœli  
Non mouit iuuenes, animosq; in pectore longo  
Infractos bello gesserunt, mœniaq; hostem  
Forte relictum cupidi pugna expectarunt.

Rex bonus imprimis per noctem plurima secum  
Sollicito uoluens animo, nulloq; sopore  
Membra leuans, dudum obseossos ardenter auebat  
Imperio regere, & uicto dominarier hosti.

Non secus atq; leo Libycis prædator in oris  
Imbelles capreas immanni exoptat hiatu  
Aut ubi prænimio cursu uenator anhelus  
Per nemus it pluuias tolerans, uacuusq; laborum  
Ardua inaccessi scandit fastigia montis,  
Iamq; inhians præda, caca latitansq; cauerna  
Ardet ueloces telis configere ceruos:  
Sic Rex & cum Rege uigil Moschumq; paratus  
Et superare manu, & superatum mittere ad orcum  
Miles erat cupidus, duri patiensq; laboris.

Iamq; rubescerat radiis arata iuuentus  
Ac fuluum campis reddebat arma colorem  
Cum Titan latam ducebat clarior ortus  
Sauromatis lucem, septembres ante calendas  
Tertia qua fuerat, qua signa notantia muris

Appa-

Apparuerunt uiros superatos, atque Polosci  
Mania Victori se se submittere Regi  
Mens est subiectis aliquam sperare salutem,  
Nullam expugnatis, castroque effusa iuuentus  
Nobilibus prognata uiris demissa ferebat  
Colla Duci, uictasque manus, ueniamque rogabat,  
Parceret iuuisa genti, iussaque Tyranni  
Atque minis crudelibus, haud optata ciente  
Bella, daret uitam, castrum de dentibus ultrò.

Tunc mitis Rex est saus non pronus ad iras  
Dans ueniam meritis hac insuper addidit ore.

Mortem equide mortem Moschi meruistis acerbam  
Si mihi uobiscum res decernenda seuero  
Iure foret, uerum quia mitia pectora regem  
Ferre decet, cordi non est mihi dira tyrannis  
Non seruile iugum, regnare gerentibus opto  
Libera colla uiris, subiectis parcere nostrum est  
At tumidos fastus est bello superare rebelles  
Oratis uitam? uitam concedimus ultrò  
Seu uos ad patrias ades, Rhipheaque castra  
Ire iuuat, rigido intactos à milite mittam,  
Seu placet in nostris ciues considerare regnis  
Arua, laresque dabo, multis opibusque iuuatos  
Cum Litauo pariter iunctas ditione tenebo.

Sic

Sic ait, et ducibus mandat ne sauis in armis  
Officiat miles redeuntibus ad sua Moschis  
Tecta, citi uadunt illi & semiusta reuisunt  
Castra, feruntq; graui confectis gaudia luctu  
Ciuibus haud sperata suis, ualidiq; Polosci  
Prasidibus, regemq; pium, regisq; benignum  
Commemorant animum, tolluntq; sub ethera laude.

Adueniunt portis ductores, pollicitamq;  
Rite fidem præstant miseris, tanguntq; sacrae  
Signa crucis, tutosq; sinunt exire patenti  
Arce, ruit subito data quæ uia uulgus agreste.  
In ualida matres, teneraq; atate puella,  
Decrepitiq; senes, pueriq; nitentibus annis,  
Funduntur solitis pecudes armenta q; campis  
Barbaricaq; rei rufis exilisq; supellec  
Fit strepitus clamorq; uirum gemitusq; parentum  
Vagitusq; sinu gestati in fantis acerbus  
Nonne malum hoc nobis clamabant uoce puella  
Grandauic cecinere senes, matresq; uerenda  
Dum nos t adiferum celebraturas Hymenæum  
Longè à natali dicebant urbe soloq;  
Ter senosq; iterum post annos saua Polosco  
Ventura excidia, & Lituorum mania & arcem  
Cessuram imperio, iam dulcia castra ualete

Indige

Indigenisq; nouis ueneranda ualete penates  
Numina, faminea querula sic uoce sonabant.

Magnus at ex alia ad Regē cum præsule porta  
Ordo sacerdotum in morem pietatis Achinu  
Instructus sacris prodibat, Et agmen inerme  
Nobilium, clariq; Duces ad castra tuenda  
Missi ab Hyperboreo latebras querente Tyranno  
Obq; uiam Regi progressi rite trophyum  
Victorem à uictis retulisse fatentur, Et hostes  
Quod stringat saus captiuos compede, nullo,  
Aut uincis oneret miseros, aut carcere franeat,  
Mirantur proniq; pium mitemq; salutant

O lux Augusti quater augustissima mensis  
Ultima, candidulo Lituus signanda lapillo  
Regis ad imperium qua iterum Polocense reduxi  
Ad titulosq; solum, Et Roxis assueta dedisti  
Iura suo retinere loco, charosq; penates,  
Annuus haud frustrè debetur in urbe triumphus  
Et solennis honos tibi, Et annua pompa quotannis,  
Te lucente canant pueri innuptaq; puella,  
Signaq; latitia tollant ad sidera uoces,  
Turribus ara sonent sacris, per templa iuuanti  
Debita cantentur Christo modulamina Regi,  
Candida turba crement festis altaribus igne

E Thura

Thura sacro, & sacras diuum spargantur ad aras  
Purpurea viola, & multo fragrantia odore  
Lilia, pastanaq; rosa, aterniq; hyacinthi,  
Quicquid & excultis florum donatur ab hortis.

Sarmata nunc animos sumas generose superbos  
Haud furto melior, melior uictoricibus armis  
Clarus osa ex Moscho uictor, quem iustus in hoste  
Sponte tulit dolor, atq; ultorem uiuida bello  
Dextra mali fecit, sed non sine numine magni  
Auxiliante Dei, cui aternas munere grates  
Soluens pro tanto, te te feruato futuris  
Fise Deo pugnis, tantum tibi feruidus adsie  
Corde calor, dum tempus adeat hostilia fundes  
Agmina, et exuuiis spoliisq; redibis onustus  
Extendetq; ultra hoc fines Duce uictor ademptos.

Intera uolucri perniciose alite facti  
Fama noui uolitans Rhiphe & allabitur ora  
Factaq; crudeli perfert deflenda Tyranno  
Manibus exustis castrum cinxisse Polosci  
Obsidione graui Regem, populoq; feroci,  
Nec potuisse parem uim Moschi uiribus esse  
Sauromatum edocet, atq; neces ac funera mille  
Edita commemorat, tandem cessisse potenti  
Castrum Victori, castellaq; proxima Regi,

Spon-

Sponteq; subiectos Lituuum elegisse penates  
Victrices aquilas, ac regia sceptra sequitos.

Corripitur subito furiis lethale Tyrannus  
Pectore vulnus habens, ueluti cum Sirius ardeat  
Vertitur in rabiem canis igniuomisq; malignus  
Luminibus flamas, atq; euomit ore uenenum,  
Occursans trepidis per agros, per prata, per urbes  
Indigenis; tali fauissimus ille furore  
Amens raptatus fuerat, uoluit q; feroci  
Ore minas, iras oculis, manibusq; cruentis  
Horrificas cades, diris agitatus ob urbem  
Vastatam, captasq; arces, finesq; Polosci  
At magis exardens ob perfida corda suorum  
Atq; leues animos, atq; hosti subdita colla.

I nunc E uerbis uictorem illude superbis  
Victe Tyranne ferox, uanumq; tumentia fauus  
Pectora adhuc fastus proprios per inania iacta,  
Cui sit honos uideas, prior E cui rite tenendus  
Sit locus, E discas magnum non temnere Regē.

At Rex iamdudum Polocensa palatia uictor  
Ingressus, regno Moschi spoliisq; potitus  
Gaudet ouans fausto successu et Marte secundo  
Munera fertq; Deo uictori, E soluit honores  
Prostratusq; aris supplex sacra numina adorat.

Hac ubi gesta Dea primū sensere sorores  
Aoniam sumpere lyram, unanimāq; canendo  
Victori tali meditata carmine laudes.

Rex lux Sauromatum salue, laus, gloria salue  
Qui proprium temni à Moscho non passus honorē,  
Surreptaq; memor ditionis, milite lecto  
Strenuus ad pugnam progressus, teipse periclis  
Obiectasti audax, Et iam auxiliante Polorum  
Rege, uiris casis, ereptis urbibus, hoste  
Compresso, spoliis ablatis, milite saluo,  
Ipse redi panis inuiso ex sanguine sumptis  
Atq; triumphator Litanis lataris in oris.

Quis te Violdum quis te nobis Iagellum  
Afflictis bone Rex calo demisit ab alto?  
Ferrea quo cessant, quo surgunt aurea regno  
Secla, cadit tumidus quo deuincente Tyrannus  
Iam tua uictri praeingas tempora lauro  
Iam diadema sacrum foliis uiuacis oliua  
Rex orna clarus, subiectos iamq; gubernat  
Longauus populos, rede asq; in calica serus  
Regnatriumphator, Christum uisurus in euum.

LIBER  
CIVITATIS  
POLONIAE  
POLONORVM

## EPIGRAMMATA

### DE STEPHANO REGE POLONORVM INVICTISSIMO, NASCENTE.

Battoreum simul ac genitrix emisit in auras.  
Dixerat esse suum Mars, & Apollo suum,  
Ille uirum bello; hic optat clarescere pace,  
Ille manus; hic magni uiribus ingenii,  
Discordesq; Iouis qua sit sententia quarunt  
Dixit Apollo tuum, Mars pater esse tuum,  
Dixit & esse suum, & Stephanū dedi ante uocari,  
Quam meritas ornet sacra corona comas,  
A Ioue quod Stephanus sit Rex, ab Apolline qd sit  
Et bonus, & sapiens, uincere Martis habet.

### DE EODE M U E N A N T E

In syluis Stephanum uenantem uiderat una  
Nympharum, ac uiso territa mente cadit  
Cui Stephanus blande: nostros ne horre-  
scito uultus  
Non uinco nymphas o Dea uinco feras,

De

## DE EODEM VINCENTE

Clarus hyperboreo rediens Rex victor ab hoste,  
Vincere sylvestres iuerat inde feras  
Cumq; ursum pernix sequitur per denia fauum,  
Edidit en tales bestia uoce preces :  
Rex, viciisse sat est fontes, iam parce benigne  
Immeritis, num aliud publica iura docent?

## DE EODEM TRIUMPHANTE

Bina nec Alcides duplii cum pralia gesit  
Hoste simul Stephanus pralia bina gerit,  
Polloeum oppugnat, prohibetur & intus & extra  
Extra sauit hyems, intus & hostis agit  
Fert tamē è duplii victor duplēm hoste triumphū  
Dantq; Duci geminum binatrophæa decus:

## IN MOSCHORVM PRINCIPEM

Est genus egregium nec honoris stemmata Mosche  
Insima sunt splendor non tibi barbaries  
Iustitia bona sunt sanctæ nec pessima legum  
Crimina sed pietas nec mala religio  
Displicuit tibi fraus turpis nec perfida gestas  
Pectora, nam dico quod bene perspicuum

Im-

*Imperium stet Mosche tuum duransq; per annum  
Nestoris haud annos nent cito fatidica*

**SENENTIA AVTORIS DE HOC  
ULTIMO EPIGRAMMATE**

*Ordine composito falsum mea carmina dicunt  
Non falsum dicunt ordine retrogrado.*

**CLAVDII ANCANTHERI.**

*Quid tam grande sonas Basili iuuenilibus annis,  
Cogis & Aonias ire per arma Deas?  
Na tibi plena Deo præcordia magna datur  
In lucem subitis incaluerere foci:  
Aut qua aliis Phœbus, nec concessere sorores,  
Principe sub tanto Parrasis Arctos habet.*

**EVRIALI PIGOLAE CASTRI=**  
**LEONENSIS**

*Quod Litauos Italis memoras nouus auctor in oris  
Iure duo debent præmia magna tibi,  
Italus historia gaudens, & carmine pulchro;  
Æternus Litauius nomine uictor ouans.*

*Man-*

MANFIDI BALDACCI PUPPIENSIS

Mirabar medicis quod uigil artibus  
Incumbens Helicona Aonum colas,  
Parnasiq; sacro uertice floridi  
Delecteris; eram sed bene non memor,  
Latous iuuenis quod medicaminum  
Inuentor fuerit, carminis & sacri,  
Hinc cum dedideris pectora Apollini,  
Tunc nosti medica dogma reconditum  
Artis; tum celebras carmine nobili  
Regem Martipotentem, & patriam inclytam.

F I N I S

Errata sic corrige

In Epigrammate tertio in ordine pro fontes leg. fontes  
In penultimo pro æternus legas æterno.

# EPITHALAMION

EPISCOPI, CVM SVA  
SPONSA ECCLESIA.

SIVE,

## De Consecratione Epi- scopi Sermo :

*Apud Serenissimum STEPHANVM POLO-  
NORVM Regem, In Consecratione Reuerendiss.  
Domini JOANNIS ANDREÆ Caligarij,  
Brittonoriensis Episcopi, Sanctæ Sedis  
Apostolicae Nuncij:*

PER STANISLAVM SOCOLOVIVM, SA-  
cre Theologe Doctorem, in Comitijs War-  
souiensibus habitus.

*In quo ritus, uetus, mysteria, & usus consecrationis Episco-  
pi, ex sententijs & auctoritate Sanctorum Patrum ex-  
plicantur: functio item & dignitas Epi-  
scopalis tota.*

*CRACOVIAE*

*In Officina Lazari, Anno Domini  
M. D. LXXX.*

H O S E E . I I .

S Ponsabo te mihi in sempiternum : & sponsabo te mihi in iusticia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus : & sponsabo te mihi in fide, & scies quia  
ego Dominus.

¶

REVERENDISSI-  
MO DOMINO, D. JOAN-  
NI ANDREÆ CALIGARIO,  
Episcopo BRITtoniensi, ad Serenissimum  
ST Ephanum POlonorum Regem, &c.  
Nuncio Apostolico,

STANISLAVS SOCOLOVIUS  
Pacem & Gaudium.



ROfiscenti mihi Warso-  
via, ac in hoc ocium, quod  
mihi benignissimus Deus per  
munificum Regem, benigne  
ac liberaliter comparauit, post tot belli,  
Aulæ, lögissimarum peregrinationum ia-  
ctationes, me referenti, tuamq; dexteram  
exoculari volenti; multa tu mecum de-  
multis, ut soles, humanissime locutus es:  
ultimo illud, quæ tua est summa pietas,  
ac decoris domus domini incredibilis ze-

A ij lus, me

E P I S T O L A

lūs, me monuisti, ne hoc meum qualecun-  
que talētum, more seruine quam, sub ter-  
ra absconderem, sed potius illo, quale-  
cunque esset, rem domino, ac patrifamili-  
as meo quærerē. Recepī me omnia, quan-  
tum possem, facturum, quæ tum sanctissi-  
mè monebas: ac dum alij aurum, argen-  
tum, pretiosum lapidem, æs, hyacinthum,  
purpuram, coccumq; bis tinctum, & bis-  
sum, cedros item, & id genus aliud preci-  
osæ materię, ad decus et ornamentum ta-  
bernaculi Domini, vestimentiq; Sacerdo-  
talnis, prompte & munificè conferunt; di-  
xi me quoque, vel pilos caprarum, atque  
pelles apportaturum. Cuius meq; obedien-  
tię, ac datę fidei principiū dare volui ab il-  
lo ipso sermone, quem in augustissima illa  
primæ inaugurationis tuæ Panegyri, præ-  
sente Rege, Senatu, ac vniuersitatis Comitijs,  
de ritu, mysterijs, vetustate, usu Conse-  
crationis Episcopi, tota denique dignitate,  
auctoritate, ac functione Pontificaliha-  
bui.

DEDICATORIA.

bui. quem tum quidem, pro ratione temporis, breuiter & quasi in compendio explicaui: nunc autem multis sententijs quasi floribus quibusdam, antiquissimorum et Sanctissimorum Patrum aspersum, ac veluti conditum, ad eius primum parentem et auctorem ( nam ego nutricis tantum et alumni partes sustineo ) signum & testimonium cum meæ incredibilis erga te obseruantiae, tum rectè & honestè dispensatiocij mitto. Tu si dignus iudicabis, alijs legendum trades: qui si non re & maturitate, nouitate certè argumentis commendare poterit. Et contulerunt quidem alij ad hoc opusculum exornandum verba, alij sententias, alij argumenta: tu vita illa tua præstanti ac verè Pontificia, exemplum et formam eius ipsius Pontificis, quæ Sancti Patres suis pulcherrimis depingunt coloribus, nobis repræsentā. Cuius quidem rei non initia et inchoationes quasdam obscuras, sed perfecta, & consum-

A iiiii mata

EPISTOLA

mata quædam specimina nobis edidisti.  
Quis enim te, aut vitae honestate & san-  
ctitate innocentior; aut deuotione, ac cul-  
tu diuino ardentior? quis in omnibus pe-  
riculis ac discriminibus, pro Religione  
Christianæ subeundis audētior? quis in la-  
boribus sustinendis, in ista tua affecta va-  
letudine firmior? quis in deprehendendis  
technis, & insidijs inimicorum Dei sagaci-  
or ac circumspectior? quis in omnire-  
tinenda veteri disciplina vigilantior?  
quis in commonendis Principibus prudē-  
tior, simul ac liberior? quis in exornan-  
dis, ac commendandis bonis, & Ecclesia  
Dei dignis viris, magis prolixus, magis  
munificus? quis in admittendis & audi-  
endis omnibus magis humanus & affabi-  
lis? at qui hoc est nostrarum, vel tuarū  
potius Nuptiarum argumentum, hæc sen-  
tentia: quo quidem nomine te omnes ama-  
mus, omnes suspicimus, omnes tanquam  
hominem quendam, diuinum cœlitus, in  
hanc

D E D I C A T O R I A.

hanc Prouinciam demissum admiramur.  
Certet igitur exemplum cum regula, facta  
cum dictis, Episcopus cum forma & spe-  
cie Episcopi. quod cùm abundè sine om-  
ni monitore tua sponte facias, quid aliud  
restat; nisi ut quam diutissimè felix et in-  
columis, honori diuino, Ecclesiæ utilita-  
ti, nostrum omnium instructioni viuas.  
S O C O L O V I I autem tui, cùm apud te ip-  
sum, tūm apud utrumque, Regem, cæle-  
stem inquam, & hunc nostrum in terra  
sanctè et piè versantem S T E P H A N U M,  
aliosq; viros bonos, nunquam obliuiscaris.  
Utinam nobis diutiis nostro ocio perfrui  
liceat. Vale Antistes optime & vigilan-  
tissime. Cracoviæ decimasexta Aprilis,  
Anno Domini 1580.



Fol. 1.  
STANISLAI SO-  
COLOVII DE CONSECRÄ-  
TIONE EPISCOPI

Sermo.



NAVGVRA-  
tioni atque consecratio-  
ni Diuini Hierarchæ  
intersumus, magniq; ar-  
cani Sacra menta oculis  
nostris subiici cernimus.  
Video autem vos loqui,  
quamvis taceatis, illudq;  
à me expectare, dum, quid tandem sibi velint hæc  
mysteria, quid hæ ipsæ tam prolixæ & multipli-  
ces Ceremoniæ, vobis explico. qua in re non ita  
quidem libenter & cupide, quam necessariò vo-  
bis morem gerendum esse duxi. Non libenter  
quidem: quod id à maioribus nostris Sanctissimis  
viris in eo mysteriorum genere palam & publicè  
factitatum non sit. Quod prohibitū etiam à mul-  
tis, ne fiat: quod hæc diuina Sacra menta arca-  
B no si-

no silentio sanctius & augustius coluntur; quod  
denique res tanti momenti breuiter explicari non  
possit, volumineq; potius integro, quam uno bre-  
ui Sermone, opus habeat. Necessario tamen, ne  
silentium locum calumniæ det; ne quod lucē fu-  
git, tenebræ esse existimetur; ne ea quæ sacra  
sunt, dum non intelliguntur, prophana esse puten-  
tur: præscriptum in ea eorum hominum multitudi-  
ne; qui ea omnia, quæ ignorant, blasphemant;  
quæ autem naturaliter, ut bruta animalia, no-  
runt, in his corrumpuntur. Nuptiæ igitur istæ  
sunt Sponsi & Sponsæ, Episcopi & Ecclesiæ,  
humanisq; diuina sancte & pie à sacris Antisti-  
tibus demonstrantur; his quæ sub sensu cadunt,  
*illa* quæ ab omni sensu, & oculorum intuitu sunt  
remota, materialibus ea quæ materia carent; ex-  
ternis illa quæ intus geruntur. Corporeis enim  
Dionys. Are-  
opag: de Ec-  
cles: Hierar.  
Cap: I. imaginibus, ait sacer Dionysius, quām diu cor-  
poreis compagibus inclusi sumus, nec omnino  
possimus mentem à consuetudine corporis  
auocare, sumus identidem ad memoriam coe-  
lestium rerum reuocandi. Neq; verò vulga-  
res quædam aut prophane hæ sunt nuptiæ, sed  
illæ, ex quibus omnis Hierarchici ordinis ratio,

per

per quam vera Iesu Christi singulari ac suo quodam modo dignoscitur Sponsa, pendet: unde omnis regiminis & gubernationis Ecclesiasticae oritur propago, per quam illa ipsa continua et perpetua Spiritualis et Apostolicæ generationis deducitur successio, amplissimum & singulare Catholicæ veritatis argumentum, illiusq; seminis de quo I<sup>s</sup>aias dixit: Spiritus meus qui in te est, <sup>I<sup>s</sup>aias 59.</sup> & verba mea que posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, à modo usque in sempiternum. Ex quibus item nuptijs omnia Sacra menta vim & initia sua sumunt, & sine quibus nihil sanctum, nihil rite Deo dicatum esse potest. Hæc enim consecratio, omnium consecrationū fons est & initium; hoc ministerium, omnium ministeriorum principium et fundatum. Diuinus enim Pontificum ordo, ut ait Sanctus Dionysius, primus est eorum ordinū, qui Dei participes sunt; & idem ultimus. Primus quidem, quod ex illo promanant reliqui omnes, & sua accipiunt omnia: Ultimus autem, quod in eo desinit & perficitur omnis Ecclesiastice & Hierarchice rei ornatus. Ut enim vniuersa Hierarchia in Iesum Christum

DIONYSIUS DA  
Cœlesti Hierar.  
Cap. 5.

B ij desi-

desinit, cuius ille caput est, sic vna quæque in suum Pontificem. Pontificalis enim ordinis virtus per omnes transit, ac funditur rerū Sacrarum partes; & cum omnibus ordinibus sacris, proprię Hierarchię mysteria operatur. Nam etsi Sacerdotes & Presbyteri aliqua persone consciunt, non tamen sine his quæ Episcopi propria opera & consecratione fiunt.

*Quarum nuptiarum, quæ vis, quæ natura sit, quò melius explicari possit, singulas earum partes eo ordine, & modo, explicandas duxi. Inter quos scilicet contrahantur: quem Sponsorem habent: quos auspices & exoratores: quæ earum circumstantiae: quis modus, & ratio. Magnum & sublime, ut videtis, argumentum, sed & iucundum ac pernecessarium simul; magno igitur studio vestro, magna deuotione, opus habet: sed & ardentibus precibus, ut hic Spiritus Dei, qui eorum arcanorum inuentor & perfector fuit, interpres & enarrator esse velit.*

*Qui igitur sunt illi, inter quos hæc tantæ contrahuntur nuptiae? quod tam præclarum et magnificum sibi mutuo sp̄ondentium par? Sponsus est*

est *Episcopus*, *Sponsa Ecclesia*. Et quidem de Ecclesia plurima alio loco, & tempore dicta sunt. De *Episcopo*, eiusq; munere, cuius est summa et prima in Ecclesia Dei dignitas et auctoritas, non committam ut ipse aliquid ex meo sensu apud vos proferam, sed quid ipse *CHRISTUS Dominus*, quid *PAULUS*, quid *vetustissimi et APOSTOLICI viri sentiant*; quem virum, cuiusq; honoris & dignitatis eum esse putent, paucis perstringam. *Episcopum* igitur, *summus ipse Pontifex CHRISTUS Dominus*, eum esse dicit; qui sit ille bonus pastor ouium; qui intret per ostium, quod ostium *Christus* est, & non aliunde. *Cui ostiarius Spiritus sanctus aperiat*: qui cognoscat oues suas, & cognoscant eum oues eius: nominatum vocet eas, & vocem eius audiant: dux earum sit, vadat ante eas, & oues eum sequantur, quia vocem eius ex frequenti doctrina, et verbi prædicatione cognoscunt: qui non modo mercedem fluxam & caducam non respiciat, non modo laboribus non defatigetur, non modo opibus & facultatibus suis non parcatur, honoremq; suum non querat, lupis non cedat, aut oues non deserat; non modo infamiam, paupertatem, exilium, carcere

Ioan: 10.

B iij non

## 6. DE CONSECRATIONE.

- non metuat; sed vitam etiam ipsam, atq; animā  
(si ita opus sit) libenter & promptè pro ouibus suis  
ponat atque profundat: qui sit sal illud terræ,  
condiendo, & ab omni labe conseruando, omni  
Christiano populo comparatum: qui sit lux mun-  
di: lucerna super candelabrum posita, quæ omnia  
immunda purget, sterilia fœcundet, errantia il-  
lustret, mœsta exhibaret, latentia prodat, ac in  
lucem proferat: qui sit illa ciuitas inexpugnabi-  
lis in monte posita, undequaq; illustris, & quæ  
obscurari nullo modo possit: oculus vniuersi; quo  
sano & simplici, totum corpus sit lucidum; quo  
deprauato & lippiente, totum futurum sit tene-  
brosum: qui claves regni cœlestis habeat; ut cui  
aperiat, apertum sit; cui claudat, perpetuò sit ob-  
seratum: qui potestate ligandi et soluendi sit præ-  
ditus; ut quodcumq; ligauerit super terram, sit li-  
gatum in cœlis; & quodcumq; soluerit in terris,  
sit solutum & in cœlis: quorum detinuerit pecca-  
ta, detenta sint; quorum dimiserit, dimissa sint:  
quem qui audit, Christum audit; quem qui sper-  
nit, Christum, & qui misit eum, Deum patrem  
spernit, & conculcat: quem qui accipit, Christū  
accipit, & cum eo patrem eius: Qui fidelis sit ser-  
uus

uus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi cibum tempore opportuno: qui sit operarius messis eius, ut fructū ad Luce 10. ferat, & fructus eius maneat: qui de mundo non loan: 15. sit, sicut & Christus de mundo non est: & cla- loan: 17. ritatem habeat, quam dedit ei princeps Pontifi- cum Christus IESUS: quem eundem testem, Et e- ritis mihi testes, in Hierusalem, & in omni Ius Actuum 1. dæa, & Samaria, usque ad ultimum terræ. amicum, iam non dicam vos seruos, quia ser- loan: 15. uus nescit quid faciat dominus eius, sed ami- cos, fratrem denique suum, Nunciate fratribus Matth: 28. meis, ut eant in Galilæam. appellare solet.

Hunc eundem Paulus hominem dicit esse, ex Hebr: 5. hominibus assumptum, pro hominibus constitutum in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sa- crificia pro peccatis: qui condolere possit his, qui ignonant & errant; ut qui & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet exorare atq; of- ferre, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso pro peccatis. Qui non sumat sibi cum honorem, sed vocetur tanquam Aaron. Nam & Christus non semetipsum clarificauit ut Pon- tifex fieret, sed qui locutus est ad eū, Filius meus psal: 2. es tu,

Psal: 109. es tu, ego hodie genui te. Et alio loco: Tu es Sa-  
 credos in æternum, secundum ordinem Melchi-  
 sedech. Qui sit minister & adiutor Dei, ac di-  
 spensator ministeriorum eius: sapientibus & in-  
 sapientibus debitor: ut fructum de profectu ouium  
 consequatur: cui datum est ministerium reconcili-  
 ationis, & posuit Deus verbum reconciliatio-  
 nis in ore eius: qui legatione fungatur pro Chri-  
 sto, tanquam Deo exhortante per os eius: qui Chri-  
 sti bonus odor sit Deo, in his qui salui fiunt, & in  
 ijs qui percunt: quem vult esse virum sine crimi-  
 ne, sobrium, ornatum, prudentem, hospitalem, do-  
 cetorem, castum, sanctum, continentem, ample-  
 etentem eum qui secundum doctrinam est, fide-  
 lem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina  
 sana, & eos qui contradicunt arguere: qui exé-  
 plo sit fidelibus, in verbo, in conuersatione, in  
 charitate, in fide, in castitate. Cui subesse oporteat,  
 tanquam ipse Domino.

Conf: Apost. De cuius officio & dignitate, inter cæteros  
 Lib: 2. Ca: 30. Patres & viros illos Apostolicos, CLEMENS  
 Petri successor cum differeret, Omnis sacræ scis-  
 entie eum custodem esse dixit, mediatorem  
 Dei & hominum, in eo quod ad eum facit mi-  
 nister.

nisterio; doctorem pietatis, secundum Deum parentem nostrum, qui per aquam & Spiritū regeneret nos in ius adoptionis filiorum Dei: Principem & Ducem populi Dei, Regem atq; Dinastam Θεού επίγεων, hoc est, post Deum, tertius restrē Deū, cui à nobis primus debeat honos; de eo enim, & illi similibus, scriptum esse docet: Ego dixi, Dīs estis, & filii altissimi omnes *psal: 18.*

vos, Et illud: Dīs non maledices. Qui primū *Exodi 20.*

in omnibus locū teneat; diuini honoris, quantum homini fas est, particeps; vniuersi cleri caput; totius autem populi, in his quæ sunt ad

Deum, princeps. *Pauli autem corum arca-*

*norum, quæ homini non est fas proloqui, vnicus 2. Cor: 12.*

Et germanissimus interpres *Dionysius Areopagitæ*, quem post *Apostolos Theologorum principes* Hierarchi cipem docti appellare solent, *Episcopū dicit esse* *Cap: 1.*

Vírum diuinum, diuino numine afflatum, qui omni sacra disciplina sit præditus, perficiens ea quæ perficiuntur, omnemq; Sacerdotalem doctrinam complexus: tradens item sacra procuriusq; eorum dignitate, qui scienter & integrè prædicti sunt Sacerdotum perfectione atq; virtute; & in quo omnis, quæ eum attingit

Hierarchia, pure absoluitur & cognoscitur.

Cum enim ex doctrina Apostolica tres functiones, operationes, atq; perfectiones, vniuersi Ecclesiastici ordinis statuat, Incipientium natus: quasi dicas, purgantem, ac discernentem, & separantem vim; quæ instituendis Catechumenis, ac illis qui primò initiantur, comparata est. Deinde eorum, qui instituti sunt sacrum φωτισμον, hoc est, illuminantem virtutem; quæ illis, qui per Baptismum ad diuinum & cœlestē lumen adducuntur, inferuit. Ultimam autem, & cœteras in se complexam, omnium nobilissimam ac perfectissimam diuinam τελεστιρ: id est, eorum qui illuminati sunt, ac ad supremam perfectionem tendunt, per sacra mysteria & cœlestem doctrinam, perfectionem atq; consumationem. Et primam quidem illam functionem τῷ λειτουργῷ: hoc est, ministrantium esse dicit: secundam τῷ ιερῷ, id est, Sacerdotum ac Presbyterorū: tertiam, vträsq; in se complexam, diuinorū Hierarcharum atq; Pontificum. hocq; illud est, quod in diuino Hierarcha, omnem, quæ eum attingit, Hierarchiam pure absolui & perfici docet. Sacra enim lex est diuinæ Hierarchiæ, per prima & sum-

## E P I S C O P I .

11.

& summa, ea quæ posteriora sunt, ad diuinissimum  
deduci lumen: quæ quidem lex diuina est in om-  
nibus ipsius creaturis, tam quæ aspectu sentiuntur,  
quam quæ aspectum superant, præclarissimè in-  
stituta. Et inferiores quidem ordines, ad superiora  
transilire non possunt; diuiniores autem vir-  
tutes secundū suas proprias perfectiones, eas quæ  
inferiores sunt, in se cōpletuntur. Diuus vero  
Ignatius Ioannis Discipulus, eundem ita definit: In Epistola ad  
Vt Episcopum esse dicat, qui omni principatui Smirnenses.  
& potestati supereminet, & quoad homini li-  
cet, imitator Christi veri Dei; princeps Sacer-  
dotum, imaginem Dei referens: Dei quidem  
propter Principatum, Christi vero propter  
Sacerdotium. Nec enim Rege quisquam præ-  
stantior, aut quisquam similis ei, in rebus cre-  
atis; nec Episcopo quicquā maius in Ecclesia,  
qui Deo consecratus est, pro totius mundi sa-  
lute: quem qui honorat, a' Deo honorabitur;  
qui ignominia afficit, a' Deo punietur; sine quo  
nihil faciendum censem earum rerum, que ad  
Ecclesiam spectant; neque baptismandum, neq;  
offerendum, neque Sacrificium immolandum,  
neque Oblationem celebrandam, neque con-

C ij

iugij

iugij unitatem faciendam, ut coniugium sit secundum Deum, non secundum carnem. Qui ubi comparet, ibi omnis sit Christiani populi multitudo; quemadmodum ubi Christus, ibi omnis astat exercitus coelestis; veluti Imperatori potestatis diuinae, omnisque intellectu alis naturae gubernatori dispensatorique; quem reuereri oportet ut Christum. Sic enim nobis praeципiunt diuini Apostoli. Cui qui non obtemperet, ille sine Deo est, pietatis expers, Christum spernens, eiusque ordinationi resistens; sine quo nulla est Ecclesia, nulla Sanctorum congregatio: absque cuius auctoritate qui agit, foris est, inquinatam habet conscientiam, infideli deterior: qui enim Christi sunt, Episcopi sunt; qui vero ab illo declinant, & cum impijs communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur: nec enim Christi agricultura sunt, sed Diaboli semen. Sacerdotium enim est, omnium bonorum que in homine sunt, supremus apex; qui aduersus illud facit, non hominem ignominia afficit, sed Deum et Christum IESUM primogenitum, qui natura solus est primus & summus Sacerdos. Laici

enim

enim Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presby-  
teri Episcopis, Episcopus Christo, ut ipse Pa-  
tri, subiicitur. *Quem eundem Episcopum,*  
*N A Z I A N Z E N V S , atque sacer B A S I L I V S ,* <sup>Nazianzenus</sup>  
*duo Catholicae religionis clarissima lumina, illis* <sup>in Apologeti-</sup>  
*pulcherrimis & verissimis depingunt coloribus;* <sup>co primo.</sup> *In oratione de-*  
*dum eum Angelum Dei, candelabrum in Eccl laudibus A-*  
*clesia Christi, Sacerdotem incruenta Sacrifi- thanasii. In*  
*cia offerentem, illustrem animarum custodē,* <sup>funere itē pa-</sup>  
*magni Dei figmentum in manibus suis portāt, renūs: In ex-*  
*tem, Deum hominibus conciliantem, immorat Episcopos.*  
*Talis vītē Doctorem, magnam vocem & tu-* <sup>Basilius in</sup>  
*bam, sermonum Regalium viuificantem vir-*  
*tutem, columnam & firmamentum in domo*  
*Dei, scopulum eminentem, qui omnes fluctus*  
*errorum & persecutionum excipiat, frangat,*  
*& à populo Dei arceat: terrorem Hæretico-*  
*rum, custodem Patriarum Legum, omnisq;*  
*nouitatis hostem; securim petram scindentē,*  
*linguam flumini irriganti similē, cordis pro-*  
*funditatem, fulgur celeritatis, sacri consilij a-*  
*picem, sermonum mysticorum interpretem,*  
*ignem & male & vitiosę materię purgantem,*  
*ventilabrum quo à grauibus dogmatibus le-*

C iñ uia

uia discernuntur, gladium vitis radices excindentem, percutientibus Adamantem, dissidentibus omnia iungentem Magnetem, veteris vite & doctrine exemplum appellare solent; quem item omnes necessitatum suarum & non minibus compellent. Ut Virgines pronubiū laudent, Coniuges moderatorem, Monachi legislatorem, simplices itineris ducem, speculationi dediti Theologum, hilares frenum, calamitosi consolatorem, canicies baculum, iuuentus magistrum, pauperes suppeditatorem, diuites dispensatorem, viduę patronū, pupilli patrem, peregrini hospitem, fratres fratrū amatorem, ægrotantes medicum, sani valetudinis custodem; omnes deniqz eum,

i. Corint: 9. qui omnia omnibus factus est, ut omnes lucris faciat. Quem oves suæ ad illud tribunal, in quo & sermo, & actio, & cogitatio cuiusque nostrum, iusta Dei tritura expendetur, cum ipse Deus ad iudicandam terram surrexerit, vocaturæ sunt; ut qui ita fidem seruarint, virtutemq; coluerint, ut ab illo imbuti sunt. Quod si recte Cyril Epistola exequuti sumus, inquit CYRillus, recipiemus la 6. mercedem, imo & laudem consequemur: si vero

verò aliter & peruersè, quæ nobis flammæ ad  
supplicia sufficient? Audiemus enim illud:  
Terram meam perdidisti, & populum meum *Esaie 14.*  
occidisti. Et laicorum quidem, quisque pro  
sua vita rationem reddet; nos autem, quibus  
Sacerdotum munus incumbit, non pro nobis  
ipsis dūtaxat, sed simul pro vniuersis in Chri-  
stum credentibus, causam dicemus.

Tanti igitur, & tam sublimis sponsi, hæ sunt  
nuptiæ: nam plura in eam partem dicere, nec  
res ipsa, nec tempus patitur.

Sponsor autem quis? non aliis certè, quām  
ipse summus Sacerdos et Pontifex Christus Do-  
minus; quem *Dianus Ignatius* primogenitum, et  
solum natura τὸ πατρὸς αρχιερεα vocat; quem *DI-*  
*onistus Θεορχινός καὶ προτερεποτελεσθήτη*, hoc autem est, Capit. 5. da  
Ecclesiastice  
diuinum & primum consecratorem appellare *so-Hierachia.*  
let. Primus enim Pontifex, primus Hierarcha  
Ecclesie sue, *CHRistus* est Dominus. Hic ex  
vniuersa illa discipulorum turba, quæ illum se-  
quebatur, elegit duodecim; quos Apostolos no-  
minauit; quos postea ad cœnam primò, deinde in  
cælos ascensurus, Pontifices & Sacerdotes illis  
verbis,

## 16. DE CONSECRATIONE.

Ioannis 20.

Ephe : 4.

Actuum 1.

*verbis, illa cæremonia, creauit atque consecravit*: Sicut misit me viuēs Pater, ita & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Hic idem dicit Paulus*: Ascendens in altum, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consumationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitate fidei, & agnitione filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Huic primo & summo Consecratori, Petrus cum omni multitudine fratrum, presentauit Iosephum, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam, cū illa præfatione*: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. *Non solum autem hic Consecrator est, sed etiam ipse*

*ipse præsens huic negocio adest. Si enim vbi fuerit Matth. 18.  
rint duo vel tres, inquit Ambrosius, ibi se fuerint qui my  
turum promisit: quanto magis vbi est Ecclesiæ sterijs initia  
sia, vbi mysteria sua sunt, inuocatus precibus tur cap: 3.*

Sacerdotum, ibi dignabitur suam impartire  
præsentiam. Credamus igitur diuinitatis hæc  
adesse præsentiam. Operationem credimus,  
præsentiam non credemus: vnde sequeretur  
operatio, nisi præcederet ante præsentia?

*Huius autem Hierarchæ, quem summo loco co  
sedisse videtis, manus nihil aliud sunt, quam vi  
sibile instrumentum, externumque signum & sym  
bolum illius invisibilis Sponsoris & consecratoris  
Iesu Christi. Ideoque summum & principem, tan  
quam summi & principis Minister et Vicarius,  
in tota Ecclesia obtinet locum: Ideo omnes, si  
ue Presbyteri, siue Episcopi, submiserunt illi  
inclinant capita sua. Ideo hic ipse Consecrator  
nihil omnino vel dicit, vel agit, non denique se  
loco mouet, nisi primum ope & auxilio impetra  
to desuper à Patre luminum; à quo omne datum  
optimum, & omne donum perfectum promanat: Iacob. 1.  
ideo nihil ex sua persona loquitur, nihil sua fa  
cit autoritate. Nam & Moyses, inquit Diuus Ibid. cap: 5.*

D Arcopa-

*Arcopagita*, sacrorum Legis mysteriorum interpres ac præfectus, non prius Aaronem ad Pontificalem dignitatem extulit, quem alioqui Deo charum esse, ac dignum Sacerdotio, existimauit; quam ad id agitatus Deo consecrationis principe, consecrationis ritum & munus, ut Pontifex, executus est.

Cogitandum est igitur diligenter & considerate, & illis qui consecrari debent, apud quem Antistitem atque Hierarcham se sistant; apud illum scilicet, quem Iudicem viuorum & mortuorum aliquando conspecturi sunt. Cogitandum item & Regibus atque Principibus, omnibusq; illis, quibus Pontificis diligendi ac designandi potestas & auctoritas credita est; quem, et qualis virum, & quibus ex causis & meritis, huic tanto Pontifici & Hierarchæ offerunt, ne falsi & mendaces testes inueniantur apud Deum et homines. Neque enim facile est Deum fallere, magnumq; Dei oculum, omnia cernentem, effugere. Illud item sciendum, nihil huic ipsi Pontifici difficile, nihil arduum, nihil ad efficiendum impossibile; earum præsertim rerum, quarum minister ac dispensator constitutus est, fore: qui tantum

tantum et tam potentem auctorem et consecrato-  
rem habeat; modo ipse ignavus et ociosus esse no-  
lit; modo ipse officio suo non desit; modo in omni-  
bus coeptis ac institutis suis, ad suum patronum  
& aduocatum recurrit.

Sponsore earum Nuptiarum explicato, ad  
Nymphostolos, sive Paranymphos, quos Latini  
Pronubos, nuptiarumq; auspices, vocare solent:  
hoc autem est, exoratores, instructores, exorna-  
toresq; nuptiarum, transeamus. Omnes Prouin-  
ciae Episcopi hi esse debent. Sic enim prima Ni-  
cæna statuit Synodus: Episcopum, inquit, con-  
uenit, maxime quidem ab omnibus, qui sunt  
in Prouincia, Episcopis ordinari. Si tamen  
hoc difficile fuerit, aut propter instantem ne-  
cessitatem, aut propter itineris longitudinem;  
tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientib-  
us, & absentibus tamen pari modo de-  
cernentibus, & per scripta consentientibus,  
tum ordinatio celebretur. Nam & Mathi- *Act. 1.*  
as praesentibus undecim, in locum de quo præva-  
ricatus est Iudas, sufficitur; & Saulus, & Bar-  
nabas, eodem modo. Erant, inquit, in Ecclesia *Actuum 13.*

D ñ

que

que est Antiochiae, Prophetæ & Doctores; dixitque Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Neque vero frustra & temere, tot, & tantis testibus, hoc ipsum nititur Coniugium. Cum enim Episcopus dux sit cœcorum, medicus ægrorum, doctrinæ custos, forma gregis; prouidendum erat diligenter, ne in ipso duce aliquid erroris, in medico pestis & ægritudinis, in doctore & magistro stultitiae & ignorantiae, in forma & exemplo gregis, aliquid turpitudinis & deformitatis insit; ne mercenarius pro pastore, ne lupus pro stabulario, ne fur & latro pro Doctore subrepatur. Si enim oculus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit. Si lumen tenebre sunt, ipsæ tenebre quales erunt: Nihil earum rerum huius seculi Hæretici faciunt. Vanæ quis gloriae ac popularis auræ & astro percitus: iræ ac odio facibus accensus: libidinis et cupiditatis ignes non ferens: duro telo paupertatis pressus: ausus quid brevibus Gyaris et carcere dignum: ad istos configuit, se Ducem, Doctorē, Hierarcham constituit: accipitur, auditur, laudatur,

datur, omniaq; flagitia illi facile condonantur,  
modo impia dogmata & ipse sequatur, & alios  
doceat. Ideo semper paruuli fluctuantes sunt, ideo  
circumferuntur omni vento doctrinæ, in nequi-  
tia hominum, in astutia ad circumuentiōnem er-  
roris: ideo nunquam sibi constant: ideo nusquā  
locum habent, vbi constanter defigant pedem.

Et pronubi quidem nostrarum nuptiarū sunt  
bi, Circumstantiæ autem illæ. Tempus quidem,  
diei Dominici, hora tertia. Idq; vetustissimo mo-  
re. Solam enim maiores nostri, inquit sacer-  
Leo, resurrectionis Dominicæ diem eo hono-  
re dignam iudicauère, vt Sacerdotes qui su-  
mantur, hoc die potissimum consecrentur: nā  
quicquid est à Domino insignius cōstitutum,  
in huius diei dignitate est gestū. In hac mun-  
dus sumpsit primum exordium: In hac per re-  
surrectionem CHristi, & mors interitum, &  
vita accepit initium: In hac Apostoli à Domi-  
no prædicandi omnibus gentibus tubam su-  
munt, & inferendum vniuerso mundo sacra-  
mentum regenerationis accipiunt: In hac cō-  
gregatis in vnum discipulis, Dominus dixit:  
Accipite Spiritum sanctum; quorum remise,

Ephes. 4.

Epist. 82. 89.

Ioan. 20.

D ij ritis

Aetuum 2.  
ritis peccata, remittuntur eis: & quorum de-  
tinueritis, detenta sunt. In hac denique pro-  
missus a Domino Spiritus sanctus aduenit: Et  
repleti sunt omnes Spiritu sancto, & coepi-  
runt loqui varijs linguis, prout Spiritus san-  
ctus dabat eloqui illis: ut cœlesti quadam re-  
gula insinuatum & traditum nouerimus, in  
illa die celebranda nobis esse mysteria Sacer-  
dotalium benedictionum, in quo collata sunt  
omnia dona gratiarum.

Ioan: 13.  
Locus autem, Templum Deo consecratum,  
Altare Iesu Christi: Nam & illi primi Diuini  
Hierarchæ atque Pontifices sancti Apostoli, e-  
rant in Cœnaculo ample & magnifice instructo,  
erant ad communem mensam, tum quando Sa-  
cerdotes & Pontifices creati sunt. Cœna enim  
facta, veteri & typico Sacrificio & Sacerdotio  
perfecto atque consumato, Lege charitatis et hu-  
militatis per submissam lotionem pedum firmata,  
nouo reficiuntur cibo, atque ex novo bibunt ca-  
lice; nouum instituitur Sacrificium; noui recen-  
tis Sacrificij Ministri ac Sacerdotes: ita ut men-  
sa illa cœlestibus refecta dapibus, pars inaugura-  
tionis & consecrationis eorum fuerit. Eodem  
modo

modo, dum Saulum, & Barnabam in opus ministerij elegit Spiritus sanctus, dicit Scriptura: Ministrantibus illis Domino, (quod Græcis Actuum 13. mysticam significat oblationem) & iejunantibus, id factum esse. Indeque profectum est, ut nulli Ordines sacri, ex illis qui maiores dicuntur, sine hac mensa, sine hoc altari, ipsaque sacrorum mysteriorum communicatione & oblatione conferantur: quod iam tum ab Apostolorum temporibus profectum, & institutum esse, testis est Diuus Areopagita, qui dicit: Nullum licere Capit. 3. de Sacramentū perfici Hierarchici muneris, absq[ue] Ecclesiastica diuina Eucharistia. Hoc siquidem Sacramen- Hierarchia. tum, omnium honorum fons est & origo; per hoc tanquam per mundissimum canale, omnes perferuntur gratiae, ut sint in fontem aquæ salientis in nobis in vitam æternam. Huius Sacra- menti ritè conficiendi causa, omnes sacri Ordines instituuntur, & per hoc firmantur. Hoc myste- rum est omnium diuinorum operum ac mysterio- rum arabo, & ultima obsignatio.

Cum igitur nobis demonstratum sit, inter quos bæ ipse nuptiae contrahantur; quis nuptiarum

Spon-

Sponsor; qui auspices & pronubi; quis locus & tempus: nunc modum ipsum, in quo summa huius argumenti consistit, de sponsationis eius texamus. Adducitur igitur in primis nouus Sponsor ab exoratoribus atque pronubis, ad diuinum Hyerotelestem. Neque enim primis illis cœlestibus, ac verè aureis temporibus inuadebantur Episcopatus, neque illi qui Episcopi creabantur sponte currebant, aut Episcopatus fraude & violenter occupabant; sed quærebantur, sed ducebantur, sed vi & precario per trahabantur. Sic Basilium deserta & solos locos sequentem, prodidit Chrysostomus: Basilius Gregorium. Sic Aystemius orientis Praefectus, Theodosii mandato, dolo & insidijs ipsum Chrysostomum capit, ac planè vincitum ad præhendendum Constantinopolitanum Patriarchatum mittit: Sic GREGORIUS Magnus alieno uestitu in spelunca delituit, donec in dicio igneæ columnæ proditus est: Sic NILAMON Monachus mortem sibi potius à Deo impetravit, quam ut à Theophilo ad Episcopatum per traheretur: multi seipso truncabant, ne Episcopi fierent. Quam mœsta illa vox, Isaiae verbo Apologetib[us] usurpata, Nazianzeni fuit, postea quam Episcopus

*Scopus Sasimorum creatus est: Super me, inquit, Esa: 6.  
rursus vncio & Spiritus, & rursus ego lugens  
& tristis incedo. Nam profecto, inquit, ars In Apologeti-  
quædam artium & scientiarum mihi esse vi, co primo.  
detur, hominem regere animal, omnium ma-  
xime varium & multiplex. Ut quemadmo-  
dum in sublimi & pendulo fune gradiētibus,  
huc vel illuc deflectere minime tutum est, nec  
quælibet parua inclinatio paruum periculum  
ad fert; verum eorū salus ac sanitas in æquili-  
brio posita est: ad eundem quoque modum v-  
tramuis in partem quispiam, siue ob vitium,  
siue ob imperitiam propendat, haud leue pe-  
riculum tum ipsi, tum subditis imminet, ne in  
peccatum prolabatur. Nunc turba ruit. Ne-  
que cuiusquam rei tanta seges et vbertas est, quam  
vacante Episcopatu, candidatorum: tanquam non  
virtutis exemplum, sed vitæ adiumentum et sub-  
sidium, hunc ordinem esse iudicent; ac non mu-  
nus reddende rationi obnoxium, sed imperium  
liberum ac referendarum rationum metu solutū.  
Et ideo verendum est, ne illud exaudiant: Ipsi osea 8.  
regnauerunt, & non ex me: Principes extiterūt,  
& ego ignorauit. Quod metuo, ne ipsi fructus,*

E atque

atque hæc omnium rerum perturbatio , abunde  
doceat.

*Ducitur igitur ad suum Sponsorem nouus  
Sponsus: ducitur autem in vestitu & apparatu  
candido, propter designationem illius candidæ &  
nuptialis vestis; sine qua qui ingressus ad nuptias  
fuerat, eiectus est in tenebras exterioreas. Nemo*

*enim magno & Deo, & Sacrificio , & Pontifi-  
catui, dicit Gregorius, dignus est, nisi qui prius  
seipsum Deo hostiam viuentē & sanctam ex-  
hibuerit , rationabilem&q; cultum gratum atq;  
acceptum ostenderit, Deo&q; Sacrificium lau-  
dis, spiritum&q; afflictum atque contritum ob-  
tulerit. Vestis ergo candida, innocentie vela-  
mina indicat. Ducitur in ueste & ornatu Pre-  
sbyterali atq; Sacerdotali. Neq; enim in prime-  
ua illa Ecclesia licuit quenquam Episcopum cre-  
ari, qui nō per omnes Ecclesiasticos gradus tran-  
sierit, qui non per multos annos functiones omni-  
um Ordinum exercuerit. Vnde illa laus Corne-  
lij apud beatissimum martyrem & Pontificem*

*Cyprianum : Non iste, inquit, ad Episcopatum  
stol: 2. subito peruenit , sed per omnia Ecclesiastica  
officia promotus, & in diuinis administratio-*

nibus

nibus Dominum s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> promeritus, ad Sacerdotij sublimè fastigium, cūctis religionis gradibus ascendit; nec, vt quidam, vim fecit vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est vt Episcopatum coactus exciperet. Eodem modo Gregorius laudat Athanasium, laudat Basiliūm. Athanasium quidem: Cunctis, inquit, Eccl<sup>i</sup> IN laudibus clericastorum graduum muneribus deinceps Athanasi. perfunctus, Alexandrino populo, quod idem est ac si dixisset, vniuerso terrarum orbi, præficitur. Basiliūm vero: Ordine, inquit, & Spi<sup>r</sup>it In laudib<sup>o</sup> Basiliūm. ritualis progressionis lege, hoc eum honore affecerunt. Et adfert hac de re suum iudicium: Nauticam legem præclaram censeo, que gubernatori primū remos committit, deinde ad proram collocat; sicq<sup>ue</sup> prioribus muneribus commissis, tandem eum post diuturnam maris verberationem ac ventorum gubernationem, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio. Miles primo, deinde Centurio, tūm Imperator, hic optimus ordo est; i<sup>s</sup>c<sup>o</sup>q<sup>ue</sup> qui subsunt in primis conducibilis. Sed & ipse pastor pastorum Iesus Christus, per omnia primū tentatus est pro similitudine absque Hebr: 4.

E ij pecca-

*Apud Nicē-  
pho : lib : 14.  
ca : 55.*

peccato, priusquam Pontifex factus est, ut possit  
compati infirmitatibus multorum. Negocia enim  
oportet gerere Episcopum, inquit S Ynesius,  
quæ simul omnes tangunt. Quæ enim commu-  
nia omnium sunt, vnum ipsum curare opus  
est, nisi criminibus omnibus obnoxius esse ver-  
lit. Cum inferiorum ordinum culpe, scribit

*Epistola 3.*

*S. Leo*, ad nullos magis referendæ sint, quam  
ad desides negligentesq; rectores, qui multum  
sæpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam  
vel nesciunt, vel dissimulent adhibere medi-  
cinam. Quis autem ille est, inquit *Gregorius*,  
*tico primo*. qui veritatis Antistitem & propugnatorem  
vnius dieculæ spacio, veluti simulachrum ex  
argilla, fingat; illum inquam, qui cum Angel-  
orum classe & ordine futurus est; qui cum  
Archangelis Deum celebrabit; qui ad superi-  
num altare sacrificia transmittet, simulq; cum  
Christo Sacerdotio fungetur; qui figmentum  
instaurabit, imaginemq; creatori sistet, & su-  
perno mundo opificem aget. Et quod maius  
est, dicam: Deus erit, & alios Deos efficiet.

*In laudibus  
Athanasii.*

Nunc autem illud euenit, quod idem Nazian-  
zenus dicit: Discipuli simul magistriq; pietatis

designant

designantur : alios ante purgant, quām ipsi  
purgati fuerint : heri sacrilegi, hodie sacerdo-  
tes : heri extra sancta, hodie sanctorum arbitri-  
tri & Antistites : veteres vitio, pietate rudes  
& recentes : (quod gratia ac fauoris humani,  
non Spiritus opus est) qui cūm cetera omnia  
violenter perueraserint, ad extreūm ipsam,  
quoque pietatem tyrannide præmunt : quorū  
non mores dignitati, sed dignitas moribus si-  
dem astruit, ordine admodum præpostero :  
qui denique plura pro suis, quām pro populi  
ignorantijs, sacrificia debeant. Ideo nihil re-  
cte ordine, nihil canonice, nihil more veteri in  
Ecclesiis geritur. Cūm primū curandum erit,  
vt Ecclesia dignissimus ; deinde sacrario ; &  
ita demum præfectura. Sanxit hoc vetustissimum  
Sardicense Concilium, in quo Osius Episcopus sic  
loquitur : Si forte aut diues, aut scholaisticus Capite 13.  
de foro, aut ex administratione Episcopus fu-  
erit postulatus, vt non prius ordinetur, nisi  
ante & Lectoris munere, & officio Diaconi,  
aut Presbyteri, fuerit perfunctus ; & ita per  
singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad  
culmen Episcopatus. Potest enim per has pro-

E iij motio

motiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua grauitate & verecundia; & si dignus fuerit probatus, diuino Sacerdotio illustretur: quia conueniens non est, nec ratio vel discipula patitur, ut temere & leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est: maxime cum & magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret, denunciasset & prohibuisse videatur; sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. Sanxerunt hoc idem Sanctissimi Pontifices, Cœlestinus, Leo, Gelasius, Nicolaus primus. Quid Cœlestinus in proderit per singula Clericos stipendia militare, inquit Cœlestinus, & omnem egisse in domesticis castris ætatem, si qui sunt ex laicis, his præfuturi queruntur? Pulcherrime eam totam rem sanctissimus explicat LEO: Cum omnis gradus militiae Christianæ de incrementis prefectuum debeat estimari, an possint cuiquam maiora committi? Merito beatorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos

Leo in Decreto suo  
 Cap: 33.  
 Gelasius in Decretalibus suis, Cap: 3.

neos sacris administrationibus censuere; quos  
rum omnis ætas, à puerilibus exordijs usque  
ad prouectiores annos, per discipline Ecclesiæ  
astice stipendia cucurisset, ut vnicuique te-  
stimonium prior vita præberet: nec posset de  
eius prouectione dubitari, cui pro laboribus  
multis, pro moribus castis, pro actibus stren-  
uis, celsioris loci præmiū deberetur. Si enim  
ad honores mundi sine suffragio temporis, si-  
ne merito laboris indignum est peruenire, &  
notari ambitus solent, quos probitatis docu-  
menta non adiuuant; quam diligens & quam  
prudens habenda est dispensatio diuinorum  
munerum & cœlestium dignitatum, ne in aliis  
quo Apostolica & Canonica Decreta violen-  
tur: & his Ecclesia Domini regenda credatur,  
qui legitimarum institutionum nesciij, & totis  
us humilitatis ignari, non ab infimis sumere  
incrementum, sed à summis volunt habere  
principium: cum valde iniquum sit & absurdum,  
ut imperiti magistris, noui antiquis, &  
rudes præferentur emeritis? Omnis Ecclesiæ  
astica disciplina resoluitur, omnis ordo tur-  
batur, dum in Ecclesia, qui nullū subierūt mi-

nister

nisterium, peruerso eligentium iudicio, indebitum obtinent principatum. *Damnat plurimum eo nomine Nicolaus primus Photiu, qui laicus Constantinopolitanum affectabat Primate*

*Nicolaus Epistola prima ad Michaelē Imperatorem* & deinde cœpit doceri ; prius sanctificare curauit, ac deinde sanctificari ; prius illuminare voluit, & postea illuminari. eamq; ob causam et ipsum Photium, & eius consecratorem Gregorium Syracusanū, loco et dignitate mouit. Nam si quid secus aliquando fiebat, tū id vel ob summam necessitatem & excellentiam virtutis, ut in Nectario ; vel imminentis periculi causa, ut in Tarasio ; vel per miraculum cœlestemq; designationem, ut in Ambroso factum fuisse legimus.

*Proinde monet diligenter idem Nicolaus Constantinopolitanam Ecclesiam : Vt tales alere omnī religione studeat eruditos viros, qui ad eum cardinem honoris dignè subrogari possint. Quod non solum, inquit, in tanto Patriarchatu obseruari omnino debet, verum etiā in singulis quibusque ciuitatibus ex consuetudine Canonica, magna cum cautela, seruantur & custoditur.*

Sic

Sic pertractus, sic vestitus, s̄stitutur principi Hierarchæ, magni & sacrosancti Tabernaculi administrō, nouus Sponsus postulatur. Postulari enim debet Episcopus, non postulare. De Dei enim & Christi eius iudicio, dicit Cyprianus, de Clericorū omnium testimonio; de plebis, quę adest, suffragio; & de Sacerdotum anti- quorum & bonorum virorum collegio; loco & gradu Cathedræ Sacerdotalis vacante; Dei voluntate, atque omnium consensione, crea- ri & consecrari debet Episcopus. Postulat, dicunt sacri pronubi, Reuerendissime Antistes, sacra mater Ecclesia, ut hunc præsentem Pre- sbyterum ad onus Episcopatus subleuetis.

Illud aperte declarantes, neq; Reges, neq; Prin- cipes, neque plebem, aut ciuitatis magistratum, sed Hierarchicam ordinationem atque benedi- ctionem Episcopum constituere; illorum testimo- nium tantum, huius auctoritatem esse.

Sic constituto & postulato novo Sponso, cùm reētē norit sacer Antistes, plenas nuptias tribus quasi contineri partibus, Fide, Sacramento, & Prole: Nē quid festinē & properē faciat, ne cito cuiquam, iuxta Apostoli præceptum, manus 1. Tim: 5.

F impo-

Libro 4. Epi-  
stola 2.

imponat, secundum Decretum Carthaginensis Cōciliij: primum ad examen fidei, quod tanquā fundatum ē & basis totius ædificij est, sese cōfert. Fides autem cū primū in sensu elucescere debeat, deinde in moribus, ad vtrunque doctrinæ genus explorandum se confert; tam quod in sermone, quam quod in opere vitæq; exemplo consistit. Et primū de primo genere fit inquisitio. Num doctrinam veteris et noui Testamenti, cuius magister et interpres esse debet, rectè norit? Absurdum enim est, inquit Gregorius, & salutis Doctorem, & Antistitem, salutis principia ignorare. Et num prudentiam suam, quantū illius capax est natura, diuinæ scripturæ sensibus accommodare velit? Quod dum sancte professus fuerit, proponitur illi vniuersæ fidei summa; eorum præsertim capitum, quibus vniuersa religio Christiana continetur: Summæ ac diuiniss. Trinitatis cōfessio; incarnationis, salutisq; nostræ œconomia; spes vitæ & resurrectionis futuræ; Sanctorū communio; ac vniuersitatem Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ auctoritas: vbi illa maxime inculcari solent, quæ aliquo modo prava et insidiosa Hæreticorum curiositate & malicia,

In laudibus  
Athanasii.

co tem-

eo tempore in dubium sunt vocata, aut quæ aliqua labie insidiator salutis nostræ aspergit Diabolus; ne quid ex communi contagione contraxerit ille, qui cæterorum norma & regula esse debet. A sensu ad mores transfertur oratio, propo-nuntur summa capita muneris Episcopalis; & num ea seruare, in eisq; sese exercere ac elabo-rare velit, ab eo summo exequitur studio. Maxi-mè num tam exhibere paratus sit, vt dicit Ber-nardus, quām exigere obedientiam; vt tantā occupaturus sedem, illud recognoscat primus Centurionis: Et ego, inquit, sum homo sub potestate, habens sub me milites. Ut prius agnoscat se hominem quām potentē, quō pro prię subiectionis experimento discat sua morderari imperia. Nam & conditor Cæsar is, Cæ-sari non cunctatus est reddere censum. Que enim à Deo sunt, ordinata sunt. Viderint ergo huius rei disuasores, quale sit Dei ordina-tioni resistere. Plurimum se Episcopo deferre putant, cūm eū Christo præferre conantur: ipso reclamante, Non est seruus maior domi-no suo. Quod non dignatus est magister & dominus, talis præsertim, indignum sibi iudi-

*Ad HEnricū  
Senonensem  
Archiepisco-pum Epi: 42.*

*Luca 7.*

*Matth: 22.  
Roma: 13.*

*Ioan: 13.*

F ï cabit

*Eccles. 32.*

cabit seruus bonus , & deuotus discipulus ?  
Stupenda insania. Animarum non cunctor  
turbas mihi custodiendas colligere , & vnum  
super me grauor proprium habere custodē ?  
Illi etsi honorant , onerant : hi non tam pres-  
munt, quām protegunt. Quis dabit mihi cen-  
tū in mei custodiā designari pastores ? Quan-  
to plures sentio mei custodiam gerere , tanto  
securior exeo in pascua. Principem te consti-  
tuerunt, esto inter illos tanquam vnum ex illis.  
Ut te putemus tanquam vnum ex illis, videa-  
mus te tam exhibere paratum , quām exigere  
obedientiam ; videamus tam libenter præpo-  
sitis obtemperare subiectum , quām imperare  
subiectis. Quod superiori non præstitisti , ab  
inferiori non petas.

Interrogatur ergo; Num ea , que in diuina  
Scriptura legit & intelligit, plebem cui præfe-  
rendus est, & verbis & exemplis docere velit?  
Num Traditiones orthodoxorum Patrum, ac  
Decreta Sancte & Apostolice Ecclesie, & ipse  
seruare, & alios studiosè docere , propositum  
habeat? Num ipse superiori potestati beati  
Petri, eiusq; successorum, penes quem summā

regi

regiminis sui primus & summus Pontifex res  
liquit Iesus Christus, per fidem, subiectionem,  
& obedientiam, secundum Canonum auctor  
itatem, more & lege veteri se se subiicit?  
Num mores ab omni malo temperare, & qua  
tum poterit, Domino adiuuante, ad omne bo  
num commutare: castitatem & sobrietatem,  
cum Dei auxilio, custodire & docere: diuinis  
negocijs mancipari, & a terrenis negotijs &  
lucris alienus esse; ne scilicet oculos, qui mo  
derandis gressibus praeeunt, cura pulueris ob  
scuret? Caput namque subiectorum sunt cun  
cti, qui praeſunt: & vt recte valeant pedes iti  
nera carpere, hec proculdubio caput debet ex  
alto prouidere: Num humilitatem & patien  
tiam in ſeipſo custodire, & alios docere velit?  
pauperibus item & peregrinis, omnibusque ei  
gentibus, propter nomen Domini, affabilis et  
mifericors esse?

*Quæ omnia ubi ille sancte, & bona fide fer  
uaturum ſe, quantum humana fert conditio, pro  
miserit; ſumma eius oneris, quod ſubcundum eſt,  
ob oculos illi, tanquam in compendio, ponitur:  
Episcopum oportere iudicare, interpretari, con-*

F ij ſecra-

secrare, ordinare, offerre, & baptisare. Quod  
onus cum non sit humanarum virium, sed et An-  
gelicis ipsis humeris sit sublimius, cum ab eo solo  
nobiscum portari possit, a quo est omnis sufficien-  
tia nostra: conferunt se omnes, Consecrator, si-  
mul Sponsus, Pronubi, ac tota Ecclesia, ad co-  
munem orationem. Et ut se recognoscant esse  
cives sanctorum, domesticos Dei, populum super-  
ne Hierusalem, adiungunt orationes & suppli-  
cationes Sanctorum; ut quod eorum fragilitas  
non potest, istorum victorialis autoritas impetrat;  
ut qui iam sunt securi de suis, sint solliciti de no-  
stris. Super nouum igitur Sponsum, primum ante  
conspectum Dei iacentem, Deum Patrem, ac  
Christum Dominum exorant: ut illi viro, ut  
litati Ecclesie prouidens, benignitas omnipot-  
tentis diuine gratiae sue tribuat largitatem: ut  
illum benedicere, sanctificare, & consecrare  
ipse dignetur.

Quo loco diligenter mibi sunt commonendi  
illi, qui aliquando hoc tantum munus subire de-  
bebunt; ut non tum primum ubi ad diuinum si-  
stuntur Hierarcha, de his ipsis muneris & fun-  
ctionis sue partibus cogitent; hisque rebus, que illis  
creden-

credenda, seruanda, docenda, vindicanda proponuntur, sed longè ante vires suas explorent.

Si enim tunc primum, *inquit Bernardus, hæc De Considera-*  
sitare incipias, id quidem sero. Ante, iuxta *tione Lib: 2.*  
consilium Saluatoris, sedisse debueras, ante *& Luce 14.*  
stimasse opus, metiri vires, ponderasse sapien-  
tiam, merita comparasse, sumptus computas-  
se virtutum. *Quid enim indignius est? quid*  
*maiore pæna dignum? quam in conspectu Dei et*  
*Angelorum eius, in conspectu Ecclesie & univer-*  
*sæ, id se scire profiteri, quod ignores; id velle,*  
*quod nolis; id posse, quod nullo modo possis?* Non  
tum igitur hæc talia cogitanda sunt, dum iam  
diuino astamus Altari; sed tum, dum ambitiose  
discurrimus, prensamus, cælum & terram, modò  
optatis potiamur, miscemus. Neq; enim erit adeò  
desperatus & perditus animus; qui si maiestatem  
& amplitudinem carum rerum secum diligentius  
considerauerit & expenderit, qui non concidat,  
qui se dare præcipitem velit, qui sententiam fu-  
turi iudicis, quam veluti manu sua subscribit, nō  
exhorrescat. Ne illud exaudiat: Nescis quid pe-  
tis. Tu quidem coram me, atq; Ecclesia hac, ore  
tuo profiteris, te velle & posse calicem meum bi-

*Math: 20.*  
bere,

bere; vitam & mores meos imitari; curam et sollicitudinem meam, quam in pascendis ouibus meis suscepi, studio & diligentia tua exprimere; crux meam ferre: cor autem tuum totum in vanæ gloriæ studio occupatum, in lucro & quæsta detentum, omni libidine & cupiditate ardens, ab his tuis promissis est alienissimum. Ut autem hi tam sublimes honores in eius vanitatis homines conferantur, non est voluntas Patris mei; hæc ipsæ sedes & dignitates, alijs moribus sunt præparatae à Patre meo: Et hos quidem Consecratores tuos, tanquam homines, diuini sensus & summæ rationis ignaros, fallere poteris; Deum autem, apud quem conscientia nuda est, quem ignota non transeunt, occulta non fallunt, qui cognitor est secretorum et scrutator cordium, fallere nunquam poteris. Est profectò hic metus omnium maximus, hoc periculum omnium extre-  
mum; huic quidem certè, qui & operæ præclaræ nauatæ magnitudinem, & rei infeliciter gestæ, miserum et perniciosum exitum intelligit.

Iuuat hoc loco apponere partem eius examinis, quam secum inibat, priusquam Pontificatum præbenderet, magnus ille Theologus Nazianzenus;

vt sit

*vt sit quasi norma & exemplum, quod unusquisque nostrum, priusquam ad tantum munus accedit, secum expendere debeat. Quo tandem modo externum illud Sacrificium, illud magnorum mysteriorum exemplar, praesidenti anno ipsi offeram, aut quo modo Sacerdotis habitum nomenque subibo, priusquam manus prijs actionibus consecraro; priusquam creaturis recte & sane, atque ad creatoris solum admirationem, non autem ad detrimentum, oculum aspicere assuefecero: priusquam discipling Domini aures satis aperuero, ac mihi adiicitur auricula nequaquam dure audiens, aureaque inauris precioso Sardio adstricta; hoc est, sapientis sermo auri benè audienti: priusquam ore, labijs, & lingua, ita meipsum compararo, ut & ore aperto spiritum traham, aut in mysteriorum dogmatumque pronunciacione, dilatato impletus spiritu fuero; & labia, ut *psal.* 118. Sapientie verbis vtar, diuino sensu constricta *psal.* 8. habuero, addam etiam tempestiuē soluta: & *Eccles.* 21. denique lingua exultatione perfusa erit, diuinæque melodie plectrum effecta, ad Dei gloriam *psal.* 56. riam celebrandam fese excitans, simulque cum *psal.* 136.*

G

eo di

## 426 D E C O N S E C R A.

Psal: 17.  
 Psal: 39.  
 Psal: 72.  
 Roma: 6.  
 Psal: 11.  
 Prover: 22.  
 1. Cor: 2.  
 Psal: 26.  
 1. Cor: 3.

eo diluculo exurgens, ac præ labore fauibus  
 ipsis adhærens: priusquam pedes meos ceruo-  
 rum ritu instructos & præparatos, ad petram  
 firmaro, piosq; et Deo gratos incessus meos ita  
 directos habuero, vt nec tantillum temporis,  
 nec vlo modo effunderentur: prius denique  
 quam omnia corporis membra iustitiæ arma  
 facta erint, omnemq; mortalitatem abiece-  
 rent, à vita absorptam, spirituiq; loco ceden-  
 tem? Ecquis porro antequam puris & ignitis  
 Dei eloqujs cor perustum habuerit, (id quod  
 fit, cum scripture ipsis aperiuntur) eaq; super  
 latitudinem cordis trifariam descripserit: vt  
 Christi mentem habeat, atque in thesauros  
 promiscue multitudini abditos, inuisibiles, ac  
 tenebrosos penetrarit; vt opes in ipsis condi-  
 tas intueatur, aliosq; locupletes & copiosos ef-  
 ficere possit, spiritualia spiritualibus confe-  
 renс: Ecquis antequam Domini beneplacitū,  
 ita vt par est, perspexerit, templumq; eius vi-  
 sitauerit; vel potius Dei viui templum viuum  
 factus fuerit, Christiq; in spiritu domicilium:  
 Ecquis antequam figurarum & veritatis co-  
 gnationem & discriminem agnouerit, ab illisq;

sece;

secedens huic se adiunxerit; ut literę vetusta-  
tem fugiens, spiritus nouitati seruiat; atque à  
lege, que in literę abrogatione & abolitione  
spiritualiter expletur, ad gratiā pure planeq;  
transfiliat? Ecquis antequā & vite probitate,  
& speculatione, per omnes Christi appellati-  
ones ac vires & facultates, tām sublimiores il-  
las ac primas, quām quas postremo humilio-  
resq; subiit, perrexerit, nimirum Dei, filii, i-  
maginis, verbi, sapientię, veritatis, lucis, vite,  
potentię, vaporis, defluxionis, splendoris, fa-  
ctoris, regis, capitis, legis, vie, porte, funda-  
menti, petre, margarite, pacis, iusticie, san-  
ctificationis, redemptionis, hominis, serui,  
pastoris, agni, Pontificis, victime, primogeniti  
ante creaturam, primogeniti ex mortuis, res  
surrectionis? Ecquis, inquam, has res & no-  
mina incassum audiens, nec dum commercio  
vlo cum verbo habito, nec ipsius, quatenus  
vnumquodq; horum vero nomine appelletur,  
particeps factus? Ecquis denique antequam *psal: 44.*  
quieto animo, atque ab huius vite negocijs *I. Cor: 2.*  
tranquillo fuerit, Dei q; sapientiam, illam in-*I. Cor: 3.*  
quam, in mysterio reconditam, accipere no-

G ij rit,

Hebr: 5.

*Nemo sapiens  
læto animo  
creatur Epis-  
copus.*

*Tranquillam  
vitam parçè  
ac duriter a-  
quam Episco-  
pum esse.*

rit, sed ætate adhuc tenera sit lacteç alatur, nec inter Israëlitas adhuc numeretur, nec in Dei castris acieç recenseatur, nec Christi crucem virilibus humeris ferre queat, imò nec præstantius fortasse aliquod corporis membrum sit, læto tamen alacriç animo se Christi Ecclesie in caput constitui patietur: Ne-  
mo profectò, qui quidem consilio meo ac iudi-  
cio standum putabit. *Ex quo examine, il-  
lud tandem colligit & concludit:* Ac proinde,  
*inquit,* sic mecum ipse loquebar: Alius merca-  
turæ causa nauiget, & longa maria transmit-  
tat, & cum ventis fluctibusq; perpetuò collu-  
ctetur; magna vel opera & precia facturus, si ita  
casus tulerit, vel pericula aditus, quisquis  
nimirum vel nauigandi peritia, vel negocian-  
di arte excellit. Mihi vero melius atque opta-  
bilius est in terra quietem habenti, atque exis-  
tendum, quam ob ingentes quæstus  
grae diuturnumq; periculum subire. Quem-  
admodum enim magno & excelso viro detri-  
menti

menti loco habendum est, res magnas non ag-  
gredi, nec virtutem ad multos propagare, sed  
in paruis leuibusq; rebus defixum hæcere, ac  
velut magno lumine paruam domum illustra-  
re; aut virilibus armis puerile corpus obtege-  
re: ita contra paruo homini securitas in eo  
consistit, vt non magnopere sese oneret, nec  
grauiori, quam eius vires ferre queant, sarcis  
ne caput supponens, simul & ridendum sese  
propinet, & in periculum coniçiat: quemadmodum  
scilicet nec alijs cuiquam turrim ædi-  
ficare conuenit, quam ei, cui ad eam prorsus  
absoluendam sufficiunt facultates, vt scripturæ  
testatur. Meliusq; est alijs, qui artis peritia  
præstent, habenas nostri concedere, quam in-  
doctos & imperitos aliorum aurigas esse: pre-  
stareq; candidam aurem submittere, quam sto-  
lidam linguam mouere. *Hæc Nazianzenus.*

Luce 14.

*Verum dicet quis: sponte tantus honor ad me  
deferritur, omnis cognatorum & agnatorum ma-  
nus cogit vimq; adfert, dementemq; fore prædi-  
cat, si tantam repudiauero dignitatem: at is vo-  
cat, penes quem est legitima vocandi potestas &  
auctoritas. Huic verò homini hac venustissima*

G. iij respon-

*respondet similitudine CHRYSOSTOMVS:*

**Libro 4. De Sacerdotio.** Etenim quæro ex te, si quem suspicamur fabrum esse, ad opus vocemus, sequaturq; ipse: deinde manus admouens materię ad ædificiū parat, ligna, itemq; & lapides auertat, opus autem sic coagnientet, sic domum ædificet, vt statim collapsura ea sit, num ille sese abundè hac defensione tutatus est; si dixerit, ab alijs se coactum, non etiam vltro ad ædificandum accesisse? Certè nequaquam, idq; iure optimo: oportebat enim vel alijs ad id vocantibus pedem referre ac tergiuersari. Itane vero qui ligna ac lapides auerterit faber, huic nullus prorsus suffugij locus, quo minus poenas pendat: qui vero animas negligenter ædificans perdiderit, hiccine alienam vim abundans si bi suffugium præsidiumq; putabit? & quo id pacto non valde ineptum atque absurdum? nondum enim adjicio, nolentem à nemine cōpellī posse: sed & ipsum volo vim fuisse immodicam perpessum, artibusq; varijs circum septum, vt in retia caderet. Hoccine igitur illū a supplicio eximet? ne obsecro, ne eo vslq; nobis imponamus, neque simulemus ignorare

nos

nos ea, quæ vel admodum pueris nota esse pos-  
sunt: reuera enim quum rationis reddende  
tempus aderit, ignorantie simulatio hæc nihil  
nobis allatura est præsidij. Principatum hu-  
iusmodi nihil ipse ambiuisti, imbecillitatis tue  
conscius? Probè id ac rectè. Oportebat ergo  
cum eodem hoc consilio, vocantibus etiam ari-  
lijs, tergiuersari. Anne quum te nullus voca-  
ret, imbecillus tu, ac minime idoneus eras: vbi  
primum vero comperti sunt qui honorem ad  
te deferrent, de repente in valentem atq; ido-  
neum euasisti? Certè huiusmodi res deridis-  
cula prorsus ac nugatoria est, eademq; extre-  
mo etiam supplicio digna. *Hec autem pro-*  
*ferenies, non eos, ut cum GREGorio Romano*  
*Pontifice loquar, qui rectè possint deterremus,*  
*sed ab appetitu tanti oneris cordis infirmitatem*  
*munimus, ne imperfecti quoque culmen arripere*  
*regiminis audeant: Et qui in planis stantes titu-*  
*bant, in precipitio pedem ponant.*

*Absoluto fidei examine, augusto sibi; peculiari magis nouus Sponsus induitur habitu.*  
*Calceatur pedes ad anuncianandum Euangeliū*  
*pacis;*

pacis; ut eat, non stet; laboret, non ociosus delitescat. Induitur interioribus quibusdam tunicis, interioris & occultae deuotionis, innocentiae & integritatis perfectionem denotantibus; cuius solus Deus purarum animarum unicus sponsus inspecto est; & cuius suavitatem illi soli norunt, qui experiantur: intus enim est qui iudicat, intus quod iudicatur, ut internorum cura in exterorum nimia occupatione non minuatur. Induitur item Dalmatica, latus manicas habente.

Titum. I.

Oportet enim Episcopum, sicut Dei dispensatorem, hospitalem esse, benignum, liberalem, non turpis lucri cupidum. Maioris enim peculij dispensatorem plura expendere oportet: qui diuitias opesque veras esse putet, si non studio omni aliena bona corradiat; sed uti indigentium penuriam sua liberalitate adiuvet, qui sua commoda propinquorum bona deputet. Egentis enim

In secunda mentem, doctrinę sermo non ita facile penetrat, inquit Gregorius, si hunc apud eius animus parte pastora lis, cap: 7.

manus misericordie non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando haec in audientis pectore pietas prædicantis rigat. De quo illud dicatur, Dispersit deditque:

Psal: III.

Non

*Non fisco, non Hæretico, <sup>potentia</sup> potenti et ~~factio-~~ factio  
ciui, non carni & sanguini, non tenaci, et quæ  
nunquam compleri potest, arcae ; tanto minus nō  
libidini & cupiditati, sed dispersit dedit pauperi-  
bus : hoc est, seminaria futuræ pietatis & eru-  
ditionis extruxit ; adolescentes præstantes inge-  
nio quam plurimos domi, forisq; opibus suis edu-  
cauit : Parœcijs desertis ac depopulatis Pasto-  
res & Sacerdotes suis copijs aluit : redeuentes ab  
errore, benignè & liberaliter suscepit ; captiuos  
redemis; virgines orbas elocauit ; peregrinos ho-  
spicio suscepit ; viduis, orphanis, morbo ac ætate  
fractis, opem tulit : Dispersit, dedit pauperibus ;  
iustitia eius manet in seculum seculi, cornu e-  
ius exaltabitur in gloria. Fœnus hoc so-  
lum, inquit sanctus LEO, aspicere & exerce;* Epistola 1.  
*re debemus ; vt quod h̄ic misericorditer tri- Cap: 4.*  
*buimus, ab eo Domino, qui multipliciter &*  
*in perpetuum mansura retribuet, recipere va- Psal: 82.*  
*leamus. Neque enim nos hæreditate possedi-  
mus Sanctuarium Dei, sed alienæ sortis dispen-  
satores sumus. Cuius peculijs usus quidem, in Lib: 2. de Cō-  
quit Bernardus, est bonus, abusio mala, solli, sideratione.  
citudo peior, quæstus autem turpissimus.*

Dispensationis autem huius, *inquit Chrysostomus*, modus ille, si Ecclesiastice facultates neq; redundant, neque temporibus necessarijs defint. *Verum de munificentia Pastoris satis.*

*Adiicitur autem ornatus hic super Sacerdotalem habitum, ad indicandas eas actiones atque operationes, quas ipse præter alios Sacerdotes, peculiari quodam modo exercere solet: quales sunt illæ, ultra regiminis, doctrinæ ac iurisdictionis rationem; quas ex Græcis Areopagita, ex La-*

*De Ecclesiastica Hierar. Ca. 5. Latinis verò Leo Papa, ex antiquissimo ritu recentiori. Presbyterorum (ut eorum verbis utar)*

*Leo Epist. 88.*

*& Diaconorum, atque Virginum consecratio, constitutio Ecclesiæ atque Altaris, benedictio item eorundem & vñctio, per impositiones manuum fidelibus baptisandis, vel conuersis ex hæresi, paracleti Spiritus sancti traditio; quale item est Chrisma confidere, Chrismate baptisatorum fratres signare, publicè in Missa pœnitentes reconciliare, formatas Epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorépiscopis atq; Presbyteris,*

*(inquit sanctus Leo) qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur: qui*

*quanquam Consecrationem habeant, Pontificatus ta-*

tus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis  
deberi summis Pontificibus, authoritate Canonū  
præcipitur: ut per hoc, & discretio graduum, &  
dignitatis fastigium, summi Pontificis demonstra-  
tur. Sed neq; coram Episcopo licet Presbyteris  
in baptisterium introire; nec præsente Antistite  
infantem tingere, aut signare; nec pœnitentem, si-  
ne præceptione Episcopi sui, reconciliare; nec eo  
præsente, nisi illo iubente, Sacramentum Corpo-  
ris & Sanguinis Christi confidere; nec eo conim-  
posito populum docere, vel benedicere aut saluta-  
re, nec plebem utiq; exhortari.

Sic igitur vestito & ornato Sponso, à fide fit  
transitus ad Sacramentū: transfert se Sacer Con-  
secrator ad eas operationes, quæ verè sanctæ sunt  
sanctosq; efficiunt: quæ ex antiquissima & Apo-  
stolica traditione, sacris primū signis & actio-  
nibus, deinde mysticis unctionibus continentur.  
Actiones & signa sacra, à Dionysio, tantorum  
mysteriorum diuino interprete, hæc numerantur.

Primū, ἡ πρὸς τὸ θεῖον θυσιαστὴριον προσκύνων, καὶ ὑπὸ\* In eode quin-  
πτῶσις. hoc autem est, aditus ad diuinum altare, ac to Capite.  
submissa genuum inflexio. Quod signum, et alti-

Hij onem

onem designare docet, Eum qui instituitur Pontificali consecratione, vniuersam suam vitā, omnemq; mentis integritatem, Deo summo ac primo consecratori subiūcere & resignare debere; ad eiusq; nutum & voluntatem eam per agere, castissimumq; Deoq; dicatum aditum, qui dignus sit & conueniens, quantū fieri pos sit, diuino, sanctissimo, ac sacro Altari, ad quod mentes, quæ diuinam speciem præferunt, consecrantur.

Secundum signum & actio, est ἡ τῆς ἱεραρχίας χρόνος ἐπιθεσις: id est, Sacri Hierarchæ, ac reliqui collegii manuū impositio. Tangit enim Princeps consecrationis Pontifex, ac deinde cæteri omnes, illius qui consecnatur caput, manusq; illi imponit: quod signum & actio, primum diuinū, ut idem inquit Dionysius, præsidium declarat; quo, tā, quam sancti pueri, illi qui consecrātur, patris charitate foueri solent, illisq; facultatem ac vim Ecclesiastici ordinis tuendi largitur, contrariasq; potestates procul ab eis arcet. Docet deinde omnia officia & munera sacri Ordinis exequi, eos qui consecrantur; vt sub Deo agētes, eumq; omnium suarum actionum habētes ducem in omnibus.

Tertiū

Tertium signum est, ἡ σταυροῦ σφραγίς: id est,  
crucis obsignatio, quæ significat omnium animi  
simul corporisq; cupiditatū cessationem, diuinæq;  
vitæ imitationem, immoto oculo aspicientem Ch-  
ristum crucifixum, qui ad crucem usq; & mortem  
expers omnis peccati peruenit; eosq; qui ita vi-  
uunt, ut eum imitentur, carnemq; suam cum il-  
lo crucifigunt, quod crux ista designat, sibi simi-  
les participes libertatis suæ à peccato efficit, obsi-  
gnans eos sigillo & imagine crucis, iustitiae et in-  
nocentiae suæ. Quid enim est aliud hæc crucifi-  
xi imago, quam forma et exemplar perfectū mor-  
tificationis omnium cupiditatū nostrū? In  
hoc enim ligno omnia desideria nostra, omnes ni-  
miae sollicitudines, omnes cupiditates nostræ, con-  
fixæ & mortuæ sunt. Quæ enim ambitio sana-  
ri poterit, quam hæc ipsa incredibilis humilitas  
Christi in cruce pendens non sanat? Quæ auar-  
itia curari, quam hæc nuditas, ac plane extre-  
ma paupertas non curat? quæ libido extingui,  
quam hæc ipsæ aride faces felæ et acetō imbutæ,  
Salutis nostræ non extinguunt? Vnde Bernardus:  
Singuli, inquit, illiciti motus animi mei, singulæ Epistola 42.  
la sunt in te Deus cōuicia: vt puta iracūdię mo-

H iñ tus in

tus in mansuetudinem tuam, inuidie in charitate, luxurie in sitim tuam, cupiditatis meae in nuditatem, fastus in tuam extremam humilitatem:

*Quartum sacrū Symbolum est sacraq; actio, huicq; ordini quasi propria & peculiaris, & quæ in nulla alia consecratione adhiberi solet, præter eam quæ Pontificis est, Η τῶν λογίων ἐπὶ κεφαλῆς ἐπὶ θεσις: hæc autem est, sacrorum librorum super caput et humerum eius qui consecratur, sanctissima impositio. Cuius modum & rationem sic explicat Carthaginēn Conciliū: Duo assistentes Episcopi, ponunt & tenent Euangeliorum codicem super caput et ceruicem eius qui consecratur, & uno super eum fundente benedictione; reliqui omnes qui adsunt, manibus suis caput eius tangunt. Quid autem sibi ea actio velit, diuinus explicat Arcopagita: Quoniam, inquit, perficiens omnis Sacerdotij vis & scientia, a diuina mysteriorum auctore bonitate diuinis Pontificibus datur, jure ac merito in capitibus Pontificum, scripta diuinitus tradita ponuntur, quæ compendio scienterq; omnem Theologiam, omnem Dei operationem, doctrinā*

*sanctam,*

*Ibidem.*

sanctam, diuina & sacra verba & opera, orationes & actiones, quas Hierarchia nostra habet Dei benefici concessu ac munere : quod diuinus Pontifex , omni quidem facultate que Pontifice digna est, præditus esse debeat, & omnium sacrarum interpretationum atque factorum, que Hierarchiam attingunt, vera atque à Deo tradita scientia non illustrari modo, verum etiam alijs, ut Pontifici consentaneum est, tradere ; perficereque diuinis scientijs ac summis, vt ita dicam promotionibus ex Pontificis dignitate omnia , que in tota Hierarchia maximam vim perficiendi habens. *Ex multis enim & varijs functionibus, quæ Episcopum attingunt, illa propria ac quasi peculiaris est, Euangelium prædicare;* vt potens sit, *inquit Paulus, Titum 1.* in doctrina sana , & eos qui contradicunt arguere. Itaq; in prisca illa et veteri Ecclesia, nemo hoc docendi pulpitum conscendebat, nisi is qui Episcopus esset; vel si forte aliqua summa infirmitate præpediebat, Presbytero quidem cuiquam hoc munus delegabat : ita tamen, ut ipse eius doctrinæ testis & iudex interesset. Itaq; ægri etiam Pontifices, nonnunquam in lectis ad tem-

plum

plum adferebantur, ut eius doctrinæ quæ populo tradebatur, testes & arbitri interessent; ne quid illis inscijs atq; incautis, hereticæ labis & pestis subreperet. Non in capite autem tantū sacer Codex Episcopi ponitur, sed in humero etiā: Ut primus ipse hoc iugum subeat, ac in societate Iesu Christi trahat: ut populo Dei more sancti Mosis, atq; adeò Iesu Christi præeat, ac viam per huius vitæ turbulentum pelagus pandat, angustumq; illam semitam & asperum, primus terat ac muniat. Ut illud posse dicere cum Christo: Discite à me, quia mitis sum & humiliis corde. Exemplum enim dedi vobis; ut quemadmodū ego feci, ita & vos faciatis. Et illud Pauli: Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Nam si pastor, inquit Gregorius; per abrupta graditur, grex profecto ad præcipitia sequetur. aut qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat: tantumq; debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare; ne

*Matth: II.*

*Ivan: 13.*

*I. Cor: 4.*

*Prima parte  
pastoralis,  
Cap: 2.*

subditi

Subditi in exēplo eius qui præest, quasi in ob-  
staculo itineris ostendant. Sacerdotes namque  
vocamur, quod ideo præsumus, ut sacrum du-  
catum fidelibus præbeamus: nulliçque illicitum  
videtur, *inquit Ambrosius*, quod ab Episcopo De Dignitate  
Sacerdotali,  
Cap: 6.  
quasi licitum perpetratur.

*Quinta & ultima diuina est actio, quam sa-  
cer Dionysius τὴν αὐτοφύησην: hoc autem est, ut sa-  
crum exponit Carthaginēn Concilium, eam quæ  
super eum qui consecratur funditur benedictionē:  
quæ talis est: Propitiare, *inquit*, Domine sup-  
plicationibus nostris, & inclinato super hunc  
famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, be-  
nedictionisque tuæ in eum infunde virtutem.  
Prorumpitque sacer Antistes in diuinā laudes,  
eum esse honorem omnium dignitatum, qui  
gloriæ eius sacris famulantur ordinibus. Qui  
per Moysen famulum suum, secreti familiaris  
affatu, inter cætera cœlestis documēta cultu-  
ræ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis in-  
stituens, electum Aaron mystico amictu vesti-  
ri inter sacra iussit; ut intelligentiæ sensum de  
exemplis priorū caperet secutura posteritas:  
ne eruditio doctrinæ eius vlli deesset ætati.*

Cum & apud veteres reuerentiam, ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quam enigmata figurarum. Illius namque Sacerdotij anterioris habitus, nostrę mentis ornatus est; & Pontificalem gloriam non iam honor cōmendat vestium, sed splendor animarum. Quia & illa quę tunc carnalibus blandiebantur obtutis, ea potius quę in ipsis erant intelligenda poscebant.

Precatur deinde, Vt ei famulo suo, quem ad summi Sacerdotij ministerium elegit, eam gratiam largiatur: vt quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multitudi operis varietate significabant, hoc in eius moribus actibusque clarescat. Vt compleat in Sacerdote suo ministerij sui summam, & ornamenti totius glorificationis instructum, coelestis vnguenti rore sanctificet. Atque ita deinceps se ad sacras confertunctiones. Significat autem ea ~~αναρτήσεως~~, siue sacra precatio, vt idē inquit Dionysius, Deo charum consecratorem interpretem, esse diuine creationis siue electiōnis; qui non suo munere eos qui consecrantur, ad

tur, ad Ecclesiastici ordinis honorem virtus  
temq; efferat; sed diuini numinis instinctu ag-  
gitatus in omnibus consecrationibus que Po-  
tificem attingunt. *Cum autem sanctificatio,*  
vt inquit Magnus Basilius, *sine spiritu non sit;* De Spiritu S.  
Cap: 16.  
& Epist: 79.  
*cum & cœlestes illæ angelicæ virtutes, que na-*  
tura quidem sanctæ non sunt, sic enim nullam  
haberent differentiam ab eo spiritu, qui solus na-  
tura sanctus dicitur; secundum proportionem tam-  
en sue dignitatis & excellentiæ, sanctificati-  
onis sue modū et mensurā ab eodem spiritu san-  
cto accipiāt. *Hic enim est digitus Dei, per quem*  
*omnia solidantur: hæc est superna illa & cœle-* Lucæ II.  
I. Ioan: 2.  
*stis vñctio, quæ docet omnia: hic est ignis purif-  
simus, qui mundat, purgat, & sanctificat ea uni-  
uersa, quæ sancta sunt. Proinde diuinus An-  
tistes creatore Spiritu, super eum quem sacrat, in-  
vocato, ad sacras vñctiones se confert; vt ostendat,  
hunc ipsum qui sacratur ministrum, & vi-  
carium illius fore, quem vnxit Deus oleo lætitiae* Psal: 44.

*Vngit autem primum caput eius, cum ea pre-  
fatione: Hæc vñctio, inquit, Domine copiosè* Psal. 132.

I ij in cat

in caput eius influat: hæc in os subiecti decur-  
rat; hoc in totius corporis extrema descēdat:  
vt tui Spiritus virtus & interiora eius reple-  
at, & exteriora circumtegat. Abundet in eo  
constantia fidei, puritas dilectionis, securitas  
pacis: Sint speciosi munere tuo pedes eius, ad  
Euangelisandum pacem, ad Euangelisandum  
bona. Da ei Domine ministerium reconcilia-  
tionis in verbo & in factis, in virtute signorū  
& prodigiorum: Sit sermo eius & predicatione  
non in persuasibilibus humanæ sapiētiæ ver-  
bis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Da  
ei Domine claves regni cœlorum, vt vtatur,  
non vt glorietur potestate; quā tribuis in ædi-  
ficationem, non in destructionem. Quodcūq;  
ligauerit super terram, sit ligatum & in cœlis:  
& quodcunq;  
soluerit in terris, sit solutum &  
in cœlis. Quorum detinuerit peccata, deten-  
ta sint: & quorum dimiserit, tu dimittas. Qui  
maledixerit ei, sit ille maledictus: & qui bene-  
dixerit ei, benedictionibus repleteatur. Sit fides

Roma: 10.

2. Cor: 12.

1. Cor: 2.

Matth: 16.

Ioan: 20.

Gene: 27.

Matth: 24.

homis

hominē perfectum : sit follicitudine nō piger, *Rom: 12.*  
sit spiritu feruens : oderit superbiam, humili-  
tatem ac veritatem diligat, neque eam vnquā  
deserat, aut laudibus , aut timore superatus.  
Non ponat lucem tenebras , nec tenebras lu- *Esa: 5.*  
cem : non dicat malum bonum, neque bonum  
malum. Sit sapientibus & insipientibus debi- *Rom: 1.*  
tor, vt fructum de profectu omnium conse-  
quatur. Tribuas illi Domine Cathedram Epis-  
copalem , ad regendum Ecclesiā tuam & ple-  
bem sibi commissam : sis ei auctoritas, sis ei po-  
testas, sis ei firmitas. Multiplica super eum be-  
nedictionem & gratiam tuam, vt ad exoran-  
dam semper misericordiam tuam , tuo mune-  
re idoneus , & tua gratia possit esse deuotus.

*Ac deinceps interpositis alijs orationibus, ac pu-  
blico Ecclesie cantu, ad vñctionem manuum e-  
ius accedit ; quas item cum ea pestulatione inun-  
git: Deus & pater Domini nostri Iesu Christi,  
qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignis-  
tatem , ipse qui per Samuelem Dauid in Regē *i. Reg: 26.*  
& Prophetam inunxit , te nostro ministerio  
Chrismate & mysticè delibutiōis liquore per-  
fundat , & Spiritualis benedictionis vbertate*

fœcundet: ut quicquid benedixeris, benedictus  
catur: & quicquid sanctificaueris, sanctifice-  
tur: & consecratarum manuum istarum im-  
positio, cunctis proficiat ad salutem. Neque  
vero frustra, aut sine causa tam prolixis, tam  
frequenter repetitis precibus, hic ipse qui conse-  
cratur, Deo omnium bonorum auctori & lar-  
gitori commendatur: Plus enim, inquit Chrysostomus,  
In primū cap: ad Titū: sermo: I. eius modi precibus indiget, quam ceteri omnes. Nam quanto est celsior dignitas,  
tanto Sacerdotis maiora sunt pericula. Suffi-  
cit enim vel unum Episcopatus recte factum  
authorem suum in cœlum attollere, unumque  
peccatum in ipsum iniçere gehennę profundi-  
dum. Nam qui in ordine priuato parum reli-  
giosus erat, multò profectò magis id patitur,  
cum Ecclesię gubernacula regenda suscepit:  
quippe tum & inanis gloria vehementius im-  
minet, & pecuniae amor & fastus; cum princi-  
patus ipse præstet licentiam offensionis & co-  
tumelie, atque maledicta, & alia prorsus in-  
numera. Votis itaque omnibus optandum, ut  
qui antea pietate præditus fuerat, talis perma-  
neat suscepto munere administrationis.

Hæc Chrysostomus.

Vngitur

Vngitur autem futurus Hierarcha primum  
in capite, per quod mens eius designatur: quò ad-  
moneatur, ut diligat Deum ex toto corde suo, et  
ex tota anima sua, et ex omnibus viribus suis; &  
proximum suum, sicut seipsum: quarum rerum  
omnium, caput fons est & principium. Deinde,  
ut auctoritas & dignitas eius declaretur, cum  
scilicet esse caput & Principem Ecclesie sue; Ephe: 5.  
quomodo vir uxori sue caput dictus est. Ho-  
nor em et sublimitas Episcopalis, inquit Am- De dignitate  
brosius, nullis poterit comparationibus adae- Sacerdotali  
quari: si Regum fulgori compares, & Princi- cap: 2.  
pum Diademati, longè erit inferior, quam si  
plumbi metallum ad auri fulgorē compares:  
quippè cum videas Regum colla & Principū  
submitti genibus sacerdotū, et exosculatis eo-  
rum dexteris, orationibus eorum se commen-  
dere et communire, qui item cornu suo Re-  
ges et Sacerdotes vngunt. Sed prouidendum  
est, inquit Ambrosius, ne sit honor sublimis,  
& vita deformis: ne sit deifica professio, & il-  
licita actio: ne sit religiosus amictus, et irrelig-  
iosus prouectus: ne sit gradus excelsus, et de-  
formis excessus: quia sicut nihil esse diximus

Episcopo

Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilis, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimen teneatur. Nam quanto gratus altior est, tanto ruina grauior: honor grandis, grandiori debet sollicitudine circuallari. Ideo igitur prerogativa honoris monstratur, ut merita congrua requirantur.

Ephe: 1.

Psal: 88.

Psal: 44.

Esa: 9.

Rom: 13.

Vngitum demum in capite, ut ostendatur esse vicarius Christi; eiusque dignitatem & authoritatem gerere, qui est super omnia; & quem constituit Deus caput super omnem Ecclesiam. Ideo Reges non iam in capite, sed in humero vnguntur: Primum, ut is proprius honor sit illius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terrae, & quem oleo leticie excellentius & augustius unxit praे confortibus suis. Deinde ut ostendatur, quod primò ante omnes Reges & Principes persona capitii Pontificali officio representetur. Vngitur tamen & Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur à representatione eiusdem capitii: Nam & huius Principatus, ut dixit Esaias, fuit super humerum eius: et ut sciat se esse ministrum ad portam crucem Iesu Christi: laudem bonorum, vindictam autem malorum.

Sed non

Sed non caput tantum Pontificis ungitur, ve-  
rūm & manus. Primum, propter officiū et mini-  
sterium eius, ut se sciat dignitatem non propter  
ocium, sed propter negocium suscipere: ut sciat  
ex illo se numero operariorum esse debere, qui su-  
stinent pondus dici & aestum. Demūm, ut illis  
manibus adsit virtus Spiritus sancti, eas tene-  
at & dirigat; cum illis laboret & operetur: ut  
quicquid benixerit, benedicatur; quicquid san-  
ctificauerit, sanctificetur: Quò certior fiat popu-  
lus Christianus, dicente Episcopo aut Sacerdote:  
Ego te baptiso: ego te absoluo: non illum baptisa-  
re, nō illum peccata relaxare, sed unctione ipsam,  
sed eum Spiritum, cuius hæc unctio signum est,  
omnipotenti virtute et præsidio suo hæc talia ef-  
ficere. Item, cùm accepto pane et calice, in ita cō-  
secratas manus, illa verba profert: Hoc est cor-  
pus meum: Hic est sanguis meus: non illū ali-  
quid vi sua efficere, sed Spiritum sanctum desce-  
dere, & virtutem altissimi obumbrare: ut qui  
in utero virginis verum corpus & sanguinem Luc: 1.  
eius admirabilis illi soli cognita virtute effecit,  
idem sub speciebus panis & vini hoc idem effici-  
at. Quibus sacris Symbolis et mysterijs cùm hæ-

retici

retici careant, mirum esse non debet, si ea quæ in Ecclesia Catholica certissima & facillima esse videntur, ab illis nō intelliguntur; per exiguumq; vel nullam potius, his fidem habeant. Neque enim nos hæc humanis viribus aut meritis tribuimus, sed illi Spiritui sancto, de quo David dixit:

**Psal:** 103.

Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & res nouabis faciem terre. Vnguntur amplius manus eius qui consecratur, ut operetur bonum: ad

**Gal:** 6.

omnes quidem, sed maximè ad domesticos fidei:

**Prouerb:** 31.

vt manus suas mittat ad fortia; ut panem ociosus

**Cantic:** 5.

non comedat; ut manus eius distillent myrrham;

**Luc:** 12:

ut sit beatus seruus ille, quem cùm venerit dominus, inuenierit vigilarem & operantem.

**Luc:** 6.

Vngitur autem sancto CHrismate, quod ex oleo & balsamo confici & temperari solet; ut per oleum quidem, nitor & puritas conscientiae de-notetur. Bonus enim homo, ex bono thesauro profert bona: & malus homo, de thesauro

**Matth:** 7.

malo profert mala. Nec colligunt de spinis vias, aut de tribulis ficus. Nō potest arbor bona malos fructus facere, & arbor mala bonos

**2. Cor:** 1.

fructus facere. Gloria nostra, inquit Paulus, hæc est, conscientia nostra: sed non gloria tan-

tum,

rum, verūm etiam omnium laborum suauē condimentum; sed omnium rerum aduersarum tutissimus portus; sed contra omnes visibiles ac inuisibiles hostes munitissimum præsidium, omnisq; libertatis doctrinæ amplissimus campus: sine qua qui docet, illud Dauidicū, quod aliquando magnum illum Origenem perterruerat, expauescat:

Quare tu enarras iustitias meas, & assumis te: *Psal: 49.*  
stamentum meum per os tuum: tu autem ho-  
mo peccator es. Cūm videbas furem, curre-  
bas cum eo; & cum adulteris ponebas portio-  
nem tuam. Existimabas improbe, quòd ero  
tui similis: arguam te, & statuam contra faci-  
em tuā. Intelligite hæc qui obliuiscimini Dei  
um, ne quando rapiat & non sit qui eripiat.

*Balsamo autem designatur odor bonæ famæ:*  
Eum enim qui Sacerdotio fungit, inquit Chry- *In 2. Capue*  
*sostomus*, odorem spirare optimum conuenit. *Epiſtole ad*  
*Timoth.*  
*Ut sit pastor sine crimine; vt habeat testimonium* *Tit: 1.*  
*etiam ab his qui foris sunt; vt item luceat lux e-*  
*ius; quo vidētes homines bona opera eius, glori-* *I. Tim: 3.*  
*ficient Patrem qui in cœlis est; vt innocentia sua Matth: 5.*  
*obstruat ora malevolorum: Sine qua eximia fa-*  
*ma qui docet, eum altera quidem manu tra-*

K    ij      here,

here , altera repellere dicebat magnus NAZI-

1. Tess : 5. anzenus. *Ab omni specie mala, inquit Paulus,*  
*abstinete vos ; non à re tantum, sed specie etiam.*

Libr : 4. de Non sit in conscientia , inquit Bernardus , nu-  
cōsideratione. tans infirmitas modice fidei ; non sit in fama  
næuuus male speciei; vt sic duplicitibus, interna  
scilicet maturitate & externa specie, vestias  
mur. *Ut illud confidenter, ille qui forma est gre-*

Eccle : 24. *gis, dicere possit : Sicut Balsamum aromatisans*  
2. Cor : 2. *odorem dedi. Et illud Pauli : Christi bonus*

Gen : 27. *odor sumus in omni loco. vt sit flagrans & su-*  
auis odor primogeniti Esau. *Et hoc est, quod*

Exod : 28. *sibi voluerunt tintinabula illa suspensa ex vesti-  
mento Aaronis sacerdotis, de quibus præcepit*  
*Dominus : Audiantur sonitus, quando ingre-  
ditur, vel egreditur, Sacerdos Sanctuarium in*  
*conspectu Domini , & non moriatur. Non*  
*alius certè sonitus, quam excellentis laudis et glo-*  
*riæ, ac omnium virtutum celebris prædicatio-*  
*nis. Et ideo, & lege ipsa Dei cautum fuit, vt is*

Leuit : 21. *qui in Sacerdotum numero censi debebat, omni*  
*vicio, siue corporis, siue animi, carceret ; neue*  
*quid infamiae in tota illius vita hæreret. Et à*  
*sacris Canonibus piè statuitur, vt is qui ministe-*

rio Al-

rio Altaris addicitur, non modo omni culpa &  
scelere careat, sed etiam ab omni suspicione, aut  
opinione sceleris, sit alienissimus. Teneatur,  
inquit sanctus LEO, subscriptio Clerico<sup>Epist: 89. ex</sup>  
rum, honoratorū testimonium, ordinis con-  
sensus & plebis: qui præfuturus est omnibus,  
ab omnibus eligatur. Ad cuius consecratio-  
nem nullus ambitus trahat, nulla seditio im-  
pellat, nulla iniquitas incitet, sed in medium  
constituta meritorum sanctitate, ut cunctis il-  
le præponatur, quem sibi cuncti cupiunt præ-  
sidere. Populus enim Episcopum non optatum  
aut contemnit, aut odit. Sic igitur sanctissi-  
ma Pontificalis vñctio perficitur. In qua illud mo-  
net vetustissimus Canon, ut ea vñctione vngatur  
Episcopus, non tam in corpore quam in corde: ut  
& interius sit nitor conscientiae, quo ad Deum;  
& exterius odor bonae famæ, quo ad proximum.  
Neque vero nunc primùm ea vñctionis ratio  
est inuenta, sed iam ab antiquissimis primitiis  
Ecclesiæ temporibus est vsu & consuetudine co-  
probata. Quod vel ex Gregorio Nazianze-  
no constat, cuius illa sunt, quibus parentem suum In Apol. post-  
alloquitur, verba: Idcirco me, inquit, Pontifi, ea quā ex fu-  
ga reddijisset.

cem vngis: ac podere cingis, capitiq; cedarim  
imponis, atq; holocausti spiritualis Altari ad-  
moues, & sanctificationis vitulum mactas, ma-  
nusq; spiritui consecras, & sancta sanctorum  
spectatum introducis; veri q; illius taberna-  
culi, quod non homo, sed Dominus constru-  
xit, ministrum facis: dignumne vero, & vo-  
bis qui vngitis, et eo propter quem peragitur,  
& in quem tendit haec vncio. perspectu hoc  
habet Pater veri illius ac germani CHRISTI,  
quem exultationis oleo pre confortibus suis  
perfudit, cum humanitatem diuinitate perun-  
xit, ut faceret vtraque vnum. *Et alio loco:*  
*In oratione ad patrem, cum ei curam Ecclesie comisisset.* Spiritu, inquit, res nostras moderante, cui nos  
ipos dedimus, & caput nostre initiationis, o-  
leo delibutum a Patre omnipotente, & Filio  
vnigenito, & Spiritu sancto ac Deo.

*Et hactenus quidem peracta est Consecratio,*  
*confectum Sacramentum. Iamq; ille qui conse-  
cratur, non amplius Electus, sed Consecratus ap-  
pellatur. Quo in loco modicum insistamus. San-  
cti estote Patres mei, quoniam Dominus vester  
Sanctus est; quoniam impositionis manuum quae fa-  
cta est super capita vestra, sancta fuit; quoniam  
vncio*

vncio qua vnci estis, sancta est; quoniam verba,  
 signa, & operationes consecrationis vestre, non  
 sancta modo sunt, sed sanctissima etiam. Sancti  
 igitur estote & vos, dateq; omnem operam, ne  
 sancta impure, sublimia demisse, honore dignatur  
 piter; & vt uno verbo complectar, Spiritualia  
 terrenè celebretis: ne hæc ipsa membra vestra,  
 organa diuina, instrumenta ratione prædita; in-  
 strumenta quæ à præclaro artifice Spiritu sancto  
 concinnantur atque pulsantur, ambitionis, cupi-  
 ditatis, libidinis, ac turpitudinis arma efficiatis;  
 ne templum Dei, tam sancte consecratum, polu-  
 atis, ac contaminetis; ne parietes dealbati sitis, Actu: 23.  
 & dicamini; ne similes efficiamini sepulchris de- Matth: 23.  
 albatis, quod quondam Pharisæis obiecit Chri-  
 stus Dominus, quæ à foris patent hominibus spe-  
 ciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum &  
 spurcicia; ne omnia quidem sancta habeatis, ipse  
 autem prophani sitis. Audite quid dicat Domi-  
 nus: Loquere ad Aaron; Homo de semine tuo Leuit: 21.  
 per familias, qui habuerit maculam, non of-  
 ferat panes Domino Deo suo, nec accedat ad Parte prima  
 ministerium eius. Si enim homo apud ho- pastoralis ca-  
 minem, inquit Gregorius, de quo minimè pre- pit: II.

sumit

sumit fieri intercessor, erubescit, qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ per vitæ merita nescit: aut ab illo quomodo alijs veniam postulet, qui vtrum sit sibi placatus, ignorat: Quia in re est formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. *Mundamini igitur qui fertis vasā Domini. Quia necesse est ut mundas habere studeat manus, qui diluere aliorum sordes curat; ne tacta quæq; deterius inquiet, si sordida in se mens lutum tenet. Et ideo in Sacerdotali habitu, ante omnia aurum fulget. Quid autem auro, quod cæteris metallis purius et preciosius est, designatur, nisi perfectio sanctitatis?*

- Thren: 4. Aurum igitur obscuratur optimum, cum terrenis actibus sanctitas vitae polluitur. Moneat vos illud, quod ad montem fumantem, neq; ex populo quisquam, neque ex senioribus & Sacerdotibus populi, sed neq; Aaron atque filij eius, quamvis summa cura & diligentia purgati accesserūt,*
- Exod: 19. Leuit. 10. sed solus Moyses. Moneat exemplum Nadab & Abiud, quod nouo duntaxat igne thura adoleuissent, nouo quoque igne absumpti sunt; atque codem*

eodem tempore, & loco, quo nefario crimine se  
 deuinixerunt, perierunt: ac ne patrē quidem Aaronem primum apud Deum, secundum Moysem,  
 tenentem locum, ipsos à periculo vindicare potu-  
 isse. Tum etiam id, quod Heli Sacerdoti, ipsi qui-  
 dem viro bono, nimis tamen filijs indulgenti, ac-  
 cedit. Moneat etiam funestus casus Ozæ, Ar-  
 cam cadentem non expiatim manibus fulcire vo-  
 lentis. Sancti ergo estote, quoniam dux uester,  
 & caput vestrum sanctum est: quoniam manibus  
 carneis, diuina & coelestia tractatis: quoniam  
 omnis integritatis & innocentiae, estis duces &  
 magistri. Sanctitatis autem vestrae, illam men-  
 suram, illum modum, ponit sanctus Chrysostomus:  
 Quanta, inquit ille, inter se fere differentia ho-  
 mines rationis usum habentes, & bruta ratio-  
 ne parentia dissident; tantum sane discrimen  
 inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur,  
 esse velim, ut ne maius etiam exigam: si quis  
 dem in multò etiam maioribus rebus pericu-  
 lum ipsum versatur. Etenim Sacerdotium ip-  
 sum in terra quidem peragit, sed in rerum de sacerdotio  
 coelestium classem ordinemq[ue] referendū est.  
 Atque id perquam meritò: quippe non mor-

L

talis

talis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnū in carne manifestantibus autor fuit, ut angelorum ministeriū animo conciperent. Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret,

*Lib: 6. de Sa-* ret, eiusq; animum solaribus radijs puriorem  
*cerdotio.* esse oportet; vt ne quando Sp̄ritus sanctus de solatum illum relinquat, vt dicere possit: Vi

*Galat: 2.* uo equidem non amplius ego, viuit autem in me Christus. Eum enim qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? imo vero pro vniuerso terrarū orbe legatus intercedit, deprecatorq; est apud Deum; vt hominum omnium, non viuentium modo, sed etiam mortuorum, peccatis propitiatus fiat, qualem quæsto esse oportet?

*Sacrificium* Quum autem ille & Sp̄ritum sanctum horrore ac re inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac resuerentia plenissimum perfecerit, communis omnium Domino manibus assidue pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exi-

*alisi*

gemus?

gemus: quantā religionem: Considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat: qualem linguam, quę verba illa effundat: qua denique re non puriorem sanctiorē esse conueniat animam, quę tantum illum, tamq; dignum Spiritum receperit. Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & coelestium potestatū vniuersus ordo clamores ex: Angeli Sacerdoti assident.

qui immolatur, angelorum chorus plenus est: Luminis instar, vniuersum orbē illustrantis. Et hæc quidem CHrysostomus. Nos autem ea quæ sequuntur, oratione prosequamur.

**C**onfecto Sacramēto, confert se diuinus Hierarcha ad Spiritualem Oeconomiam, sanctāq; prolis gubernationem. Armat igitur primū & instruit nouum sponsum, dat regendæ & gubernandæ familie instrumenta ac gubernacula. Et cùm omne regimen omnisq; administratio, auctoritate & amore cōtineatur: Oderunt enim peccare mali, formidine poenę: Oderunt peccare boni, virtutis amore, tradit in primis in manus

L ij noui

noui Antistitis consecratum Baculum; auctoritatis scilicet et disciplinæ insigne, sustentaculum imbecillitatis humanæ; ut sit in coercendis vitijs pie severus, iudicium sine ira tenens, lenis in fo-  
uendis virtutibus, audientium animos demulcens,  
in tranquillitate severitatis censuram non des-  
rens; vt reuocet errantes, regat iustos, pungat et  
stimulet ignavos et inertes, repellat nocentes: ac,  
**Ezech: 34.** iuxta Ezechielem, attrahat vagū, sustentet lan-  
guidum, stimulet pigrum; portet in humeris suis,  
exemplo Principis pastorum, ægrum & debile.

**Lib: 3. de Cō-** Vt increduli, inquit Bernardus, conuertantur  
sideratione. ad fidem, conuersi non auertantur, auersi re-  
uertantur, peruersi ordinentur ad rectitudi-  
nem, subuersi ad veritatem reuocentur, sub-  
uersores conuincantur; vt vel emendentur  
ipsi, si fieri potest; vel si non, perdant aucto-  
ritatem facultatemq; alios subuertendi.

**Excusserunt hoc insigne potestatis & authorita-**  
tis, disciplinæ item de manibus Pontificum, hu-  
ius saeculi haeretici, et ideo in omni rerum con-  
fusione & perturbatione versantur. Non potest  
enim Deo esse contrariū quid, et sibimet cohe-  
**Lib: 5. de Cō-** rere, aut secum cōsentire; dicebat Bernardus.

Nec

*Nec possunt verè dicere; Virga tua, & baculus psal: 22.  
tuus, ipsa me consolata sunt. Ideo ne filij qui-  
dem, quia extra disciplinam sunt: qua sublata et Hebr: 12.  
extincta, omnem ordinem auferri, omnem recti  
& honesti differentiam extingui oportet. Impu-  
nitas enim, inquit idem Bernardus, incurię for Lib: 3. de Co-  
boles, insolentię mater, radix impudentię, sideratione.  
transgressionis nutrix, matris noxię libertatis  
pessima soboles hæc. Sed nunquam excusſi-  
ſent, si Pontifices rem magis, quam insignia rei,  
complecti voluissent; & si pro religione potius  
contra impietatem, pro fide contra perfidiam, pro  
veritate contra mendacium, pro virtute contra  
ſcelus; pro iustitia contra iniustitiam, pro pudore  
contra flagitium & impudentiam, quam pro suis  
commodis ac honoribus, ea potestate et auctorita-  
te que illis à Deo tradita est, uti voluissent.  
Verūm cùm hæ nuptiae, hocq; regimen, non tam  
timoris, quam amoris sit; non tam ſeueritatis,  
quam charitatis: Nam & CHRistus Dominus Ephes: 5.  
dilexit Ecclesiam, & tradidit ſemetipſum pro  
ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam laua-  
cro aque in verbo vite; vt exhiberet ipſe ſibi  
gloriosam Ecclesiam, non habentem maculā,*

L    ij      aut

aut rugam, aut aliquid huiuscmodi, sed ut sit sancta & immaculata. *Et eum quem vicarium loco sui relicturus erat, priusquam illi despondisset, ter interrogauit, num se diligenter, & propter se sponsam suam. Quod cum ille summa ascensione ter professus fuisset, tum demum illud audinit: Pasce oves meas, pasce agnos meos.*

*Lib: 2. de Consideratione.* Sanè qui dicit, Amice ascende superius, ait *BERnardus*, amicum fore fudit. Si minus invueniat, non expedit quidem. Qui eleuauit, & deiçere potest. Sera querela, quoniam eleuās allisisti me. *Eius igitur amoris & charitatis symbolum, sacer Consecrator nouo sposo tribuit, consecratum ANNVLVM: eum monens, ut accipiat Annulum, fidei scilicet et amoris signaculum, quatenus sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatam custodiat. In quo amore & dilectione si pastores persisterent, Super muros Hierusalem,*

*Esaia 62.*

*ut inquit Esaias, starent custodes, tota die ac tota nocte non tacentes. Habitaret enim iuuenis cum virgine: et gauderet sponsus super sponsam, & gauderet super illos Deus eorum. Dura*

*Cant: 8.*

*enim ut mors est dilectio, & tanquam infernus æmula-*

*æmulatio. Cupiditas et amor, dulces sunt tyranni.*

Videmus bubulcum, *inquit Nazianzenus,* ob vitulum vnum ab armento aberrantē, vel pastorem ob pecudem decadis grege desideratam, vel auem ob nidulū quem ad breue temporis reliquit, vsque adeò discrutiari soleres; ut & illi arreptis fistulis, in speculam quandam euecti, calamos omnes moerore impleant, atq; palantia animalia quasi ratione prædita euocent; ac si paruerint, maiorem ex illis, quam ex reliquis simul omnibus, delectationem percipiunt: hæc autem stridens ad nidum conuollet, pullisq; stridentibus aduoluatur, eosque pennis foueat: quo tandem chariores esse parent apud bonum egregiumq; pastorem oues rationis participes, & pro quarum salute non nihil periculi adjit: quandoquidem hoc quoq; acriores animi flamas excitat. *Qui amor cum in pastoribus nostri sæculi non sit, ideo non gaudet sponsus super sponsam suam; ideo aliena sequitur; ideo ubiuis potius libentiū agit, quam in ouilibus suis: Ideò alij prius ex hac vita decadunt, quam Cathedras suas reuiserunt: ideo in Geographicis tabulis necesse habent situs & locum*

*cum*

cum Episcopatum suorum querere. Quid capiet pescator ille, qui procul à littore abest? sit peritissimus, sit solertissimus licet, pastor item ille quid proficiet, qui stabulum ingreditur nunquam?

*Epistola 92.* Quis inter fluctus, inquit LEO, nauem dirigit, si gubernator abscedat? quis ab insidijs oues custodiet, si pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus oblistet, & furibus, si speculatorum in prospectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis amor quietis abducatur? Et tamen grauiter ferimus, quod in eum locum deducta sit res Ecclesiastica: Nemo nos plus læsit quam nos ipsi, sed et hucusq; lædimus. Vnde autem hæc tam supina negligentia: nisi inde, quod Christum Iesum non amamus; quod salutis nostræ nullam, vel per exiguum rationem habemus; quod Academicas quasdam questiones sequamur. Negligenter pascens toties commendatum Dominicum gregem, inquit magnus Leo, conuincitur summum non amare pastorem.

Pastor consecratur, ergo pascua illi traduntur. Accipit Consecrator Euangeliorum librum, cumq; nouo Præfuli tradit: Accipe, inquit, Euange-

Euangeliū, & vade prædica populo tibi commisso. Potens est enim Deus tibi augere gratiam suam. *Ac si diceret: Ne putas in Paulo & Petro, Tito & Timotheo, Chrysostomo & Augustino, munus & functionem Apostolicam desisse: ne putas cœlestem illam benedictionem et auxilium æterni Patris sublatum esse; quo illi subnixi, profecti annunciauerunt Euangeliū vniuerso mundo: potens est Deus etiam tibi dare gratiam suam, ac per te similia operari.*

Etsi enim illi plus omnibus, inquit BERnardus, laborarunt, non tamen totum elaborauerunt, Lib: 2. de Cōfederatione.

& tibi adhuc locus relictus est. *Neque illud tantoperè terreat, quod sublimibus humanae sapientiae verbis careas, quod serius ad sacrarum literarum lectionem accessisti, quod nunquam Cathedram Doctoris concenderis. Aude, et fac aliquid. Potens est enim Deus tibi augere gratiam suam. Nihil agentem, impossibile est bene operari. Melius serò, quam nunquā: Nam & undecimæ horæ operari, diurnum acceperunt Matth: 20. denarium. PETRO nihil indoctiūs, PAULO nihil imperitiūs, inquit CHRYsostomus. Et hoc illi In Proœmio profitebantur, nec eos hoc fateri pudebat. Etsi Epistola ad Romanos:*

M.

imper-

2. Cor. ii.

imperitus sum, inquit Paulus, sermone, non tamen scientia: Sed tamen hic imperitus, & ille indoctus, sexcentos Philosophos superarunt; sexcētis Rhetoribus os obturarunt; suo ipsorum studio, propensaq; voluntate, & Dei gratia, omnia peragentes. Inique certe et calumniosè hæretici, ut in cæteris omnibus, ita et in hac parte conuiciantur, verbi Dei in Ecclesia Catholica nullam rationem haberí, sacram scripturā supprimi s; aliunde potius, quām ex scripturis diuinitū traditis, dogmata populo Christiano proponi; humanas traditiones, pro diuinis præceptis et mandatis obtrudi: quæ illorum oratio, quām vana, quām cum evidenti calumnia coniuncta sit, hæc ipsa traditio libri Euangeliorum; hæc noui Pastoris compellatio, quæ quasi summa Pontificalis munera continet, abunde docet. In qua Codicis traditione, tria nobis præcipue sunt obseruanda. Primum illud, quod non ipse sibi, is qui populo Dei præficitur, codice sumit: hoc enim hæreticorum proprium & peculiare semper fuit; sed à sede Christi, sed ex manu diuini Hierarchæ accipit. Nam neque Moyses quidem sibi ipsi tabulas, in quibus Lex Dei continebatur,

nebatur, sumpsit, sed de manu Dei acceptas po-  
pulo tradidit. Et Paulus, id quod à Domino ac- <sup>I. Cor: II.</sup>  
cepit, se tradidisse docet. Et Timotheum monet <sup>I. Tim: 6.</sup>  
idem Paulus, vt id custodiat, non quod sibi pri-  
uata autoritate sumpsit, sed quod apud eum de-  
positum est. Secundum verò illud animaduer-  
tendum erit, tradi illi Codicem Euangeliorum:  
non vnum aliquod Euangelium, non partem ali-  
quam Euangeli: Nam hoc item hæreticorum  
proprium est, vt partem quidem vnam sacræ scri-  
pturæ tueantur, reliquias autem vel negligant,  
vel tanquam Apocryphas & profanas penitus  
reijciant. Huic autem nostro totum traditur E-  
uangelium; vt ita eius vnam partem tucatur, ita  
interpretetur, ne reliquarum sensum & verita-  
tem peruerat: ita vni parti innitatur, vt reliqua-  
rum conscriuet sanctitatem. Tertium demum il-  
lud, quod que Ecclesia illi tradit Euangelium,  
eadem & sensum ac interpretationem eius Eu-  
gely: eū docet; ne ipse nouos sensus querat, ne sua  
figmēta pro Catholica doctrina obtrudat; vt Spi-  
ritus Dei, non humani sensus, sequatur doctrinā.  
Prophetia enim, atque vniuersa scriptura, in-  
quit sanctus Petrus, priuate interpretationis <sup>2. Pet: 1.</sup>

M      ï      non

non est. Ut enim illud Euangeliū adfert, quod omnium temporum atque locorum est, ita et eam interpretationem sequi debet; si verus, si solidus, si Catholicus Doctor esse, & haberi vult; quæ omnium ætatum & temporum, omnium item gentium & nationum, iudicio & auctoritate sit comprobata. Hæcq; illa est vera, inter Catholicum & hæreticum Doctorem atque Magistrū differentia; quod uterque sacræ scripturæ testimonijs vtitur, uterque Euangelium laudat, uterque pro hoc vitam sanguinemq; si ita opus sit, se profundere paratum esse dicit. Hic tamen hoc Euangeliū, eiusq; ministerium, priuata sibi sumit autoritate: ille à potestate ordinaria accepit: hic partem aliquam tuetur, ille totum simul corpus defendit: hic suos proprios, ille Ecclesiasticos astruit sensus. Et ideo Catholici Magistri doctrina, ad Dcū reuelantem, & Spiritum sanctum interpretantem, enarrantemq; ac suggestentem referuntur. Hæreticus diuina quidem verba adfert, sed suum sensum. Et verbis quidem diuinis summa & prima fides habenda est, sed illis tamē, quæ procedunt de ore Dei, & quæ os Domini locutum est. Quod autem hoc ipsum os diuinum

fit,

fit, in Symbolo profitemur omnes: sed & ipsi profitentur nobiscum, si modo se intelligere & exaudire velint; et si non pertinacia & malicia non-nunquam vincantur. Qui locutus est, inquit, per Prophetas. Et Vnam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Ecclesiae Dei promisus est Spiritus sanctus; unus igitur sibi non sumat, quod omnium est. Et idcirco haereses semper uno pede claudicant: Catholica fides, utriusque pedis stabili firmatur gressu. Catholica fides, aeternam & increatam veritatem sequitur, quae omnium est; haeresis secundum Deum, vel una cum Deo, suos sensus & iudicia, duo insidiosissima idola colunt & adorant. Et proinde palpant te-nebras Aegyptij. Cum de populo Dei Scriptura Exodi 10. dicit: Vbicunque Israël erat, ibi lux erat. Sed quae tandem causa eius, de qua supra dictum est, calumniae? Non alia certe quam illa, de qua quondam questus est IE Remias: Sed & lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suis. filia populi mei, crudelis tanquam struthio in desertis. Lamiæ, inquit, monstra foedissima ac crudelissima, tantum humanitatis, tantum charitatis habent, ut eos catulos, qui ex eis pro-

Thren: 4.

M iij geniti

geniti sunt, lactent; ut his, quos illis Deus &  
natura commendauit, nudent vbera sua. Filia  
autem populi mei, Sacerdotes & Pontifices, ex  
quorum ore fontes doctrinæ irrigandis populis  
profluere debebant, struthionis instar sunt crude-  
les; quem nulla pietas, nulla suorum mouet cha-  
ritas. Sic nostris infelicissimis temporibus. La-  
miae quidem hæreticorum humanam faciem ha-  
bentes, sed beluina per impietatem corda geren-  
tes, nudauerunt mammas, lactauerunt varijs er-  
roribus catulos suos. Pastores autem, atq; Do-  
ctores Ecclesiæ, crudeles tanquam struthio, qui-  
bus nullum vilius videtur officij genus, hoc ipso  
verbi diuini prædicationis munere; & quod om-  
nem excedit inhumanitatem, non solum ipsi non  
lactant catulos suos, sed nec nutrices quidem ip-  
sas, id est Parochos, ac reliquos inferiores Ec-  
clesiæ ministros, hoc officij genere serio perfungi  
patiuntur; dum vel eos huic muneri præficiunt,  
qui ipsi rationem vitæ suæ ignorant, vel alijs ne-  
gocijs longè diuersis et pugnantibus impediunt.  
Atqui PAULUS necessitatem euangelisandi  
sibi incumbere clamat: Væ enim, inquit, mihi,  
si non euangelisauero. Etsi purpuratus, etsi dei-  
auratus

auratus incedis, *inquit Bernardus*, non est tā Lib. 4. de Co-  
men quod horreas operam curamq; pastora, sideratione.  
Iem, Pastoris hæres ; non est quod erubescas  
Euangelium. Pastorem te populo huic aut ne-  
ga, aut exhibe. *Quis mihi det, antequam mo-* Epist. 237.  
*riar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus an-*  
*tiquis, quando Apostoli laxabant retia in ca-* Luce 5.  
*pturam : non in capturam auri & argenti, sed*  
*in capturam animarum. Quām cupio vos,*  
*Episcopos compellat, eorū hæreditare vocem,*  
*quorum adepti estis sedem. Venerunt filij vñ-*  
*que ad partum, ait Propheta, & vires non ha-* 4. Reg. 19.  
*bet parturiens. Verūm & hæc quidem ha-*  
*etenus.*

Accepto demūm nouus Pontifex à suo Con-  
secratore, ac reliquis assistentibus, osculo pacis,  
de quo paulò post nobis dicendum erit; recedit ab  
Altari, ac deinceps eo tempore, quo populus Chri-  
stianus dona & munera ad altare Dei, more ve-  
teri, eoq; laudatissimo, adferre solet: ipse quoque  
suo Consecratori, tanquam spirituali patri, mu-  
nera offert. Sunt autē ea ex antiquissima Mel-  
chiadis Pontificis institutione, panis & vinum;  
quibus dux anteferuntur faces. Offert panem et  
vinum;

*Psal: 109.* vinum ; vel vt ostendat se in eius Sacerdotis functionem & munus succedere, cui sine omni infuturum pœnitentia iurauit Dominus, cum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: vel, vt quidem ego iudico, ad designandam paupertatem Episcoporum primitiæ illius Ecclesiæ ; in qua summae opes, summae diuitiæ, panis & vinum fuerunt. Dantur autem hæc munera clara luce, et amplius duabus facibus accensis, ne quid inter hæc leuia munera speciosius colore, pondere preciosius (scitis quid intelligam) subrepatur ac subiiciatur. Male enim agitur, cùm ea quæ virtuti et pietati debentur, asino onusto auro conferuntur.

*3. Reg: 19.* Assumitur demum sacer Antistes à suis collegis, in communionem & participationem orationis, ac mysticæ mensæ. Ac vt quondam Eliias quadraginta dierum & noctium ad montem usque Oreb Dei visionis, iter emensurus, cœlitus delato communitur viatico : Sic iste contra omnia prolixii & difficillimi itineris pericula, contra omnes visibilium, & qui videri non possunt, inimicorum insidias, contra principes & potestates tenebrarum mundi huius, confirmatur & corroboratur

boratur pane illo, qui de cœlo descendit: quem *Ioan: 6.*  
*qui dignè manducat, non moritur, sed habet vi-*  
*tam æternam.* Super quem panem, *iuxta Esa-Esaie 11.*  
*iam, requieuit Spiritus Domini, spiritus sapi-*  
*entie & intellectus, spiritus consilij & fortitu-*  
*dinis, spiritus scientie & pietatis: & repleuit*  
*eum spiritus timoris Domini.* *Quorum do-*  
*norum participes efficiuntur omnes illi, qui dignè*  
*& religiosè tanto reficiuntur viatico.*

*Cælesti mysterio refectus, armatur demùm*  
*ille, cui cum Aspide & Basilisco, cum rugiente *Psal: 90.**  
*Leone & Dracone, congregendum est; cui cum *I. Pet: 5.**  
*portis ipsis inferi pugna instat; cui omnium ne- *Matth: 16.**  
*cesser est ferre tentationes. Necubi nudo quis*  
*aut neglegit loco deprehenso, letale vulnus adfe-*  
*rat. Nam et si ego latens in cauerna, dicit Ber-*  
*nardus, & quasi sub modio non quidem lucēs,*  
*sed fumigans, ventorum tamen impetus nec*  
*sic quidem declinare sufficio; quid positus su-*  
*pra montem, positus supra candelabrum pati-*  
*etur & Imponitur igitur capiti eius sacra Cyda-*  
*ris, bicornisq; galea, cum Patris omnipotentis in-*  
*uocatione; cuius præclara est bonitas, & virtus*  
*immensa, totiusque decoris ornamentum.*

N

Imponit

Imponimus, *inquit diuinus Hierarcha*, capiti huius Antistitis & agoniste tui, galeam munitionis & salutis; quatenus decorata facie, & armato capite, non generis & prosapię vetustate, non stipatorum vi & armata manu, non magnis necessitatibus & clientelis, sed cornibus vtriusq; testamenti terribilis appareat aduersarijs veritatis: & te ei largiente gratiam, impugnator eorū robustus existat. Qui Moy si famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui Tyaram imponi iussisti.

*Exodi 34.*

*Exodi 28.*

*Hebr: ii.*

*Tali armatura instruebantur primi religionis nostræ duces & Antistites; batq; deuicerunt regna, obtulerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterrunt exterorum. His cornibus armatus PETRUS Neroni, LIBERIUS Constantio, AMBROSIUS Theodosio, BASILIUS Valentino, CHRYSOSTOMUS Arcadio, LEO Genserico atq; Attilæ, noster S T ANISLAVS BOLclao, alijsq; alijs quamplurimi restiterunt, terribilesq; apparuerunt. His cor-*

*nibus*

nibus Ariana, Macedoniana, Nestoriania,  
Dioscori, Eutichetis, ac reliquorum monstrorum  
disputata est impietas; his omnis haereticorum pra-  
uitas cessit. Vobis amplissimi Patres, nimis haec  
cornua obtusa & attrita redditia sunt. Quietem  
& tranquillitatem nostram curamus; cœlum ru-  
iturum existimamus, si quid liberiùs pro Eccle-  
sia Dei dixerimus aut fecerimus. Nimirum timidi  
sumus, nimis ocio & desidia torpemus. Et eo  
quidem tempore, inquit Chrysostomus, quo au-  
ra serena est & lucida, quo pascua libera &  
quieta, quo nulli luporum impetus & insidiæ  
greges vexant; licet fortasse Pastori se pro-  
noluere sub patulæ arboris umbra, fistula dulce  
canere: At ubi imbres & tempestates insurget,  
ubi oves dissipantur, ubi lupus ad præsepio adestrat;  
tum pastor umbram deserat oportet, tum pro tri-  
pudio & choro cursum, pro fistula & tibia fun-  
dam & baculum arripiat, oportet. Et fuit qui-  
dem quoddam tempus, cum magna erat Ecclesiæ  
Dei pax, magna quies, rerumq; omnium secun-  
dissimus afflatus; tum fortasse licuit multis ocio-  
sos esse, suisq; voluptatibus & quiete perfrui, su-  
is lucris & commodis incubare: Nunc tempestas  
**N** **i** **y** adestrat,

adest, summosq; feriunt fulmina montes : nunc  
præsentia naufragia vbiue ante oculos versan-  
tur nostros ; nunc dura bella & conflictus immi-  
nent ; nunc alia est ratio omnium rerum. Ex-  
cutiendus est iste sopor; voluptates rei ciende; ad  
arma, ad gubernacula vobis recurrentum, prius-  
quam extremum naufragium vos, gregesq; ve-  
stros absorbet. Virtus enim in pace acquiritur,  
in pressura probatur, in victoria coronatur.

Neque illorum temporum exemplis abutendum,  
neque illi homines nimis molles & delicati imita-  
di, quod plerique vestrum faciunt : sed illi potius  
primi fortissimi ac insuperabiles viri, Patres &  
fundatores vestri, qui omnia humana & diuina  
excellenti animi virtute superarunt ; qui nulla  
humana voluptate & recreatione vñsi sunt ; qui o-  
mnia mundi huius sicut stercore existimarunt, vt  
Christum lucrifacerent ; qui solas has voluptates  
atque delicias censebant, nempe à voluptatibus  
& delicijs abhorrente : Quorum vita fuit, vt Paulu-  
lus docet, in multa patientia, in tribulationi-  
bus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis,  
in carceribus, in labore & ærumpna, in vigilijs  
multis, in fame & siti, in ieunijs multis, in fri-

Philip : 3.

2. Cor. 6. & II.

gore

gore & nuditate ; in itineribus s<sup>æ</sup>pē ; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famā. Ut seductores, & veraces : quasi purgamenta mundi huius existimati, ludibria & verbera experti : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis ; egentes, angustiati, afflicti ; in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terre ; quibus dignus non erat mundus. Tradiderunt corpora sua ad supplicia, & lauerunt stolas suas in sanguine agni, & ideo reperunt palmas ; & ideo sempiterno cælo cum duce et imperatore suo Christo fruuntur : & ideo nomina eorum scripta sunt in libro vitæ : et ideo memoria eorum ex ore hominum non peribit in sempiternum. Hi vobis potius tali tempore, his periculis imitandi sunt, et moribus exprimendi, quam dissoluti & enervati illi : qui et ipsi, si vigilantiores atque diligentiores suis temporibus esse voluissent, & Ecclesiæ

M iij Dei

Dei melius consuluissent, & officio suo conuenientius fundi fuissent, & vobis pinguorem ac veteriorem hereditatem domini reliquissent; sed et exemplum sanctius, nomenq; illustrius. Nam honores isti vestri atque summae dignitates, mediæ quædam res natura sua sunt. Si enim praestanti virtute & vita innocentia queruntur, si maximis vigilijs & laboribus sustinentur, si incredibili fructu & utilitate eorum quibus praesit obsignantur, res quædam magnificæ & illustres putandæ sunt; & quæ plurimum decus atq; commendationem illis, in quos conferuntur, adferre solent: Sin vero dolo & fraude inuiduntur; vel quod fædius est, si pecunia comparantur, si per luxum & desidiam produntur, potius quam geruntur; si aliqua infelici calamitate, ac publicæ salutis ruina, concluduntur; tum in ipsis amplissimis nominibus honoris non modo dignitas nulla erit, sed erit etiam summa deformitas. Nam & virtutis vniuersæ, & iudicij, omnem opinionem euertunt. Quomodo enim ille vir bonus, qui ut suam qualencunque astruat gloriolam, publicam salutem in summum discrimen adducere non dubitat? Quomodo recto iudicio praeditus, qui neque seipsum

Seipsum nouit, neque illud discernere potest; et veram laudem & gloriam, non tam ex honoribus & dignitatibus pendere, quam ex carum recta et salutari administratione: et qui non cernit se honoris vocabula, non dignitatis insignia consecutum esse: & qui ex eo laudem querit, quod non illi, sed pecuniae sue collatum est. Nam & in militia præclarum quidem est Ducem exercitus creari, turmas & legiones ducere; sed si id virtute tua consequaris, si strenue cum hoste dimices, si præclaram aliquam victoriam Reipub. parrias: sin aliter, quanto plures perdidieris, tanto illustriora ad omnem posteritatem excitabis infamiae tuæ trophæa. Magna dico, sed & in paruis hoc id videre licet. In Comœdia vel Tragœdia pulchrum quidem est Priami Regis, aut Agamemonis, aut Aiakis personam sustinere; sed si Priami imperio dignam speciem geras, si lacer-tis firmus sis, si voce valeas; si nihil horum, longè honestius & pulchrius est cum decore, vel Thersitis, vel Daui, aut Getæ cuiusquam personam sustinere, quam cum turpitudine et de-decoro Heroas ac semideos repræsentare, misera-bilisq; potius quam sufficiendus apparere. His  
strio

*Strio hæc in fabula videbit, Episcopus Sacerdos in summa salutis suæ, ac tot populorum incolumente, non videbit: Quæ si maiores nostri apud se diligentius perpendissent, nunquam profecto in eos scopulos atque pericula, rem Christianam adduxissent; & ipsi longè nobilius nomen & gloriam post se reliquissent. Nunc alia tempora, alios postulant mores. Stultum & insanum est in procella et turbulentio mari molliter cubare velle.*

*Parte prima  
Pastoralis:  
Cap: 9.*

*Hebr: 12.*

*Ioan: 16.*

*Quieto mari, inquit Gregorius, rectè nauem etiam negligens, & imperitus nauta dirigit: turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus & vigilans nauta se confundit. Neque tamen animo deficiendum est, neque tamen malis cedendum, ac veluti desperata salute, clausus & gubernacula dimittenda: Non dum enim ad sanguinem usque ipsum restitimus. Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Maior est ille qui in nobis est, quam aduersus nos. Confidite, vicit ille mundum, et nos vincemus.*

*In quo studio & conatu, cum nihil magis cauendum fugiendumq; sit, quam studium vanæ & inanis gloriae, ne quid ambitiosè, ne quid humane*

manæ laudis causa fiat. Nihil enim tā ingloriū  
 dicebat Bernardus, quām Episcopū glorie cu<sup>m</sup> Epistola 126.  
 pidū depræhendi. Per multi autem inueniun-  
 tur ad ea, quæ pietatis & religionis sunt prompti  
 exercenda, sed sola honoris cupiditate ducuntur:  
 ubi autem eorum pietas arbitris caret, ibi quoque  
 rectè merendi langueſcit alacritas. Stultissimis  
 vtique mulierculis, dicit Nazianzenus, haud In funere pa-  
 dissimiles, que natura pulchritudine carentes, tris sui.  
 ad colores configiunt, theatriceq<sup>z</sup>, ut sic lo-  
 quar, comp<sup>t</sup>e atque ornat<sup>e</sup> sunt; ob venusta-  
 tem inueniunt<sup>e</sup>, ob affectatam formam defore-  
 mes. Et hoc est, inquit Gregorius, quod dicit Quarta parte  
 scriptura: Tradidit in captiuitatem virtutē eo<sup>m</sup> Pastorali.  
 rum, & pulchritudinem eorum in manus ini<sup>m</sup> Psal: 77.  
 mici. In captiuitatem etenim virtus, & pulchri-  
 tudo in manus inimici traditur, dum alterius iu-  
 dicis, quām Dei testimonium, querit: fouca est  
 mentis, memoria propriæ virtutis. Dum enim se  
 apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit.  
 Excederat Regio Prophetæ paulo liberius verbū;  
 Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æ- Psal: 29.  
 ternum: & statim damnum sentit; Avertisti fa-  
 ciem tuam à me, & factus sum conturbatus.

O

Quam

Quam enim virtutē proprius oculus videt, Dei non videt: In quo vitio declinando eò magis nos circūspectos esse oportet, quòd hoc malū vltimò sapientē deserat: hoc vestimentū dicebat Plato esse, quod postremum anima sapientis deponit. Ideò velantur manus operarij nouis integumentis; ne aut sibiipse, aut hominibus, placere velit. Ut antè interni iudicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat; vt in omnibus

*Actuum 21.* exemplo & instituto Apostoli honorificemus ministerium nostrum, non nos ipsos: aut potius honorificando ministerium nostrum, nos ipsos honorificemus. Honorificabimus autem, inquit Bernardus, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis edificijs; sed grauitate morū, maturitate consiliorum, actuum honestate, studijs spiritualibus, operibus bonis. Si enim mundo placemus, cur Sacerdotes? Si Deo, cur qualis populus, talis Sacerdos? Deus dissipabit ossa eorum: qui hominibus placent, confusi sunt; quoniam Dominus spreuit eos. Fidelis Pontifex, qui bona quælibet per manus su

*Epistola 28.*

*Et Epist: 42.*

as trans

as transeuntia, siue diuina beneficia ad homines, siue hominum vota ad Deum columbino intuens oculo, nihil sibi reseruat ex omnibus. Quo puritatis intime bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus perfecte gloriosolas omnes respuerit. Nec enim tutum arbitratur, labijs hominum committere gloriam suam, arcæ utiq; sine clave & sine sera, nulliç; omnino clausæ nocere volenti, non tutum omnino sed stultum ibi thesaurum recondere, vnde non valeas resumere cum volueris, sum num vas & inconcussum conscientia, & secretis seruandis idoneum, nullis patens insidijs, nulli violentie cedens: adest viuo, mortuum sequitur. Vbi mihi gloria, vel confusio perpetua, pro ratione depositi. Quin ne ex toto quidem, vel ipsi conscientie meæ credo; quippe cum ne ipsa quidem me queat comprehendere totum, propter quod Ieremias fidenter loquebatur Deo: Diem hominis non concupisci, tu scis solus; merito constitutus est iudex viuorum & mortuorum, qui finxit singulis latim corda vniuersorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attendo iudicem, quem

Hiere: 17.

O ij solum

solum iustificatorem agnosco. Sit gloria in ext  
celsis Deo, & in terra pax hominibus. De vul  
tu tali iudicium meum prodeat opto : cui in  
sit amor, error absit & perturbatio. *Summi*  
*igitur Parentis auxilium imploratur, vt circum*  
*dare velit manus ministri sui mundicia noui ho*  
*minis, qui de cælo descendit.* Ut quemadmodū  
IAacob dilectus Domino , pelliceis hædorum  
coopertis manibus, paternam benedictionem,  
oblato patri cibo potuqp gratisimo , impetrat  
uit ; sic & iste oblata per manus suas hostia,  
salutarem gratiæ illius benedictionem impre  
tratione mereatur.

Gene: 27.

De Dignitate  
Sacerdotali

Cap: 6.

*Collocatur deinceps Episcopus , hoc est inspe*  
*ctor omnium, in editiore supra omnes loco, inquit*  
*Ambrosius ; vt ita cunctos respiciat, & cuncto*  
*rum oculi in eum respiciant. Quid ni locetur in*  
*eminenti, ait BERnardus , vnde prospectet om*  
*nia qui speculator super omnia constituitur ?*  
*Collocatur in sede Iesu Christi homo mortalis, qui*  
*aliquando iudicium & sententiam, vel æternæ*  
*suæ salutis, vel perpetuæ damnationis, ex eodem*  
*loco prout eundem tutatus fuerit, reportaturus*  
*est. Collocatur in solio illius, cuius sedes Throni*  
*sunt,*

ni sunt, mentes tranquillissimæ & placidissimæ,  
pace perenni, quæ exuperat omnem intellectum,  
perpetuò fruentes. In quem desiderant & Ange-  
li prospicere; cui omnes Patriarchæ seruierunt;  
cui omnes Prophetæ testimonium reddiderunt;  
cuius pedum vel ipsum corrigium calciamenti qui  
soluat, indignum se iudicat ille, quo nullus maior  
exitit inter natos mulierum. Cuius loci consi-  
deratio, inquit Bernardus, facit honoris con-<sup>Lib: 2. de Co-</sup>  
temptorem in honore etiam ipso. In alto po-<sup>sideratione.</sup>  
situm, non altum sapere difficile est, & omni-  
no inusitatum; sed quanto inusitatiùs, tanto  
gloriosius: timor de adepta iam altitudine, te-  
dere magis facit, quam placere ipsam altitudi-  
nem. Nulla splendidior gemma in omni præ-  
cipue ornatu Pontificis, ipsa humilitate: quo  
enim celsior cœteris, eo humilitate apparet  
illustrior, et seipso. Blanditur Cathedra, spe-  
cula est, non domus: qui eleuauit, deicere po-  
test. Consideras gradum, & casum metue: <sup>Epist: 237.</sup>  
consideras fastigium dignitatis, & vide facie  
abyssi deorsum. Occupare enim locum, & non  
facere fructum, nec loco expedit, nec perso-  
ne. Hæc quidē hactenus diuinitus Bernardus.

O ij Quanta

Quanta igitur vitæ cœlestis integritate, innocentia, continentia, æquitate, moderatione, cōstantia, patientia; quanto impetu mentis ad sém-piternam gloriam, ac reliquas virtutes, vita sanctissima, & moribus probatissimis, & studio diuinæ virtutis ac charitatis ardentissimo, ad hunc ipsum primum nuptiarum accubitum tuendum et exornandum opus sit, ipsi videtis; quām candida & illustri veste, ut par dignitati & loco virtus adferatur. Simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens; monstrosa res, gradus summus, et animus infimus; ingens auctoritas, & nutans stabilitas.

Secunda par- Prouidendum igitur, monet G Regorius, qua-  
te Pastoralis tenus & honore suppresso æquales nos subdi-

Cap : 6. tis benè viuentibus putemus, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formide-  
mus: nec præesse nos hominibus gaudeamus,  
sed prodesse. Summus enim locus ita benè re-  
gitur, cùm is qui præest vitijs potius, quām  
hominibus dominatur: ita tamen, vt in cor-  
de seruetur humilitas, & in opere disciplina;  
vt eos quos corrigimus, tacita nonnunquam  
cogitatione nobis ipsis præferamus: sic iura dis-  
ciplinae exerceantur contra delinquentes, vt

pietatis

pietatis viscera non amittantur : sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans ; sit zelus, sed non immoderatè sœuiens ; sit pietas, sed non plusquam expedit parcens , vt in arce regiminis iustitia clementie permisceratur : nam secta immature vulnera deterius inferuescunt; & nisi cum tempore medicamenta conueniant, constat quod medendi officium amittunt: vt non de subditis crescamus, sed ipsi de nobis. Principem enim te constituerunt, sed sibi, non tibi. *ut in omnibus illud quod monet Bernardus, diligenter expendatur;* Epistola 84. *quid liceat, quid deceat, quid expediatur.* Plus erga corrigendos, docet sanctus Leo, agat benevolentia, quam seueritas : plus cohortatio, quam commotio : plus charitas, quam potestas. *His legibus hoc tantum tuetur & exornatur solium ; his ipse solij Princeps et Dominus IESus Christus vsus est.* Ad cuius loci dignam administrationem, magnifice cohortatur Pontifices NIColaus primus : Episcopi estis, exurgentia in Ecclesia Christi horrenda pericula prouide te : speculatores estis, in altam mentis arcem concendite, & in gregem dominicum feram *In Epistola ad Episcopos Constantinopolitanae Sedi subiacentes.*

Luce 14.

feram pessimam irruere cupientem , a longe  
contemplamini. Quasi tuba exaltate vocem  
vestram , & annunciate populo Dei scelera ei-  
orum: super montem excelsum; id est, altitu-  
dinem virtutum ascendite. Qui euangelisatis  
Syon, state in fortitudine : potestatibus huius  
sæculi , ex aduerso ascendite. Ne veniat pa-  
terfamilias, & iubeat vos dare eum locum digni-  
ori ; ne pro omnis æquitatis & honestatis Anti-  
stitis, nequitiae præsides esse videamini.

Sic igitur collocato Pastore in sua sede, pro-  
rumpit vniuersa Ecclesia in laudes & confessio-  
nem omnipotentis Dei ; in quas omnis humana  
actio & institutum, merito desinere debet. Dicitur  
per templum nouis Antistites, ut omnibus innotescat;  
commendatur summo Pastori, et rectori omnium  
Deo : Ut quem Ecclesiæ sue Pastorem præse-  
se voluit, propitius respiciat : det illi verbo  
& exemplo proficere , & ad vitam , vna cum  
grege sibi commisso, sempiternam peruenire.  
Quantumlibet enim fuerit peritus gubernan-  
di, inquit CHRyostomus , nisi inter huiuscet-  
modi gubernacula gratiam habeat , & pacem  
que a Deo est ; & nauiculam simul , & nauis

*Sermone pri-  
mo ad Titum*

gantes

gantes procella inuoluet, mergetq; profundo.

Pleno vestitu nuptiali ornatus & decoratus nouus Praesul, benedicit populo, ac dimittit Ecclesiam. Pleni amore & spiritu diuini Antistites, in mutuas salutationes, in mutua oscula, in mutuos amplexus effunduntur, mutuam sibi pacem tradentes & accipientes.

Precatur sacer consecrator nouo Praesuli, tanquam germano filio suo, in omni cura ac solitudine subiecti sibi gregis, omnes salutares & optatos successus: Precatur nouus Pontifex consecratori suo, quem in patris loco vetustissimis institutis, per omnem vitam habere ac venerari iubetur, ter elata voce, multos felices & prosperos annos. Quem ritum τελεωτικορ ἄποστολος: hoc In eodem Ca autem est, Sacerdotalis perfectionis salutatione, pte 5. & complexum, sacer vocat Dionysius: quam hoc modo explicat. Nam & omnes, inquit, qui ad sunt, sacrorum ordinum homines, & Pontifex ipse qui consecrauit, eum qui consecratus est salutant. Cum enim sancta mens scientia, viq; Pontificis, & diuina vocatione atque sanctissimonia, ad Ecclesiastici ordinis consecrationem honoremq; peruenit, tum charus est pa-

P                   ribus

ribus sanctissimisq; ordinibus; & ad pulchritudinem diuine similem perductus, mentes s; miles amat, atque ab eis sancte redamatur. Hinc consalutatio illa inter Ecclesiastici ordinis homines seruatur & perficitur, quæ sancta parium similiumq; mentium societatem indicat, lætitiamq; mutuam, quæ amore digna est, quippe quæ diuinam pulchritudinem saluam et in columem Ecclesiastici ordinis forme conservet. Hæc Dionysius. *Amor siquidem Pastorum & concordia, salus & firmamentum est gregis. Decet enim eos, qui omnis pacis & amoris cæteris omnibus hominibus duces & auctores esse debent: ad cuius rei designationem, in veteri lege non alius quam Sacerdotes, ignem in templo Dei accendere iussi sunt; eos ipsos inter se nullis dissensionibus, nullis similitatibus omnino disiungi, sed mutuam pacem & charitatem amplecti. Sic enim animis coniuncti atq; concordes, viribus quoq; magis pollebunt, omnesq; inimicorum suorum fraudes & insidias, omnem vim & impetum, facilius sustinebunt, infringent, atque dissipabunt. Hoc enim est vnguentum Deo gratissimum, quod descendit in barba, barbam Aaron,* & in

*Lexit: 6.*

*psal: 132.*

**S**in oram vestimenti eius. Amor enim & concordia Pontificum, amorem & mutuam charitatem fouet Principum; quorum consensus, populi salus & concordia est. Hic est ros suauissimus montis Hermon, qui descendit in montem Syon; ibi mandauit Dominus benedictionem, et ui, am vsque in saeculum.

**E**xposui, ut potui, Nuptias Sponsi & Sponsae, Episcopi & Ecclesie: dixi, inter quos hoc contrahatur matrimonium; quis Nuptiarum Sponsor; qui exornatores & pronubi; quæ circumstantiae; quis nuptiarum modus & ratio. Quo in loco, antequam dicendi finem facio, primum ab haereticis huius saeculi mibi inquirendū esse putau: Quæ causa fuit, cur, cum se omnis vetustatis & antiquitatis studiosos & cultores esse dicant, ab his pulcherrimis & vetustissimis ritibus descesserunt? Cur nihil earum rerum, in designatione suorum Pastorum, faciunt? cur sine examine, Doctores; sine Sacerdotalis manus impositione, Pontifices; sine uincione, Sacerdotes; sine missione, Apostolos; sine ritu sacro, sacerarij ministros esse velint? An hec sacrosan-

P ij et non

cta non sunt? an non ex antiquissima & Apostolica traditione profluxerunt? an non diuinis Scripturis consentanea? an non munus & officium eius qui consecratur, re ipsa potius quam verbis exprimentia, ac ob oculos plane ponentia? Cùm segniūs irritant, vt summus dixit Poëta, animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Deinde, quæ causa fuit, cur homines quidem probatos, legitima vocatione in amplissima dignitate constitutos, tam sacro ritu consecratos repudiārunt? errores autē quosdam, sine vocatione, sine examine, sine sacramento, sine lare denique ac foco securi sunt. aut quam tandem iustum causam, in illo acri & perspicaci iudicio Dei, eius suæ rebellionis & temeritatis reddituri sunt? Sacra Scriptura, inquiunt, nuntiuntur; verum Dei verbum docent. Quo teste, aut iudice? Num de cœlo vox delapsa est à magnifica gloria, quæ eos audiendos esse iubeat? num multis & varijs signis & portentis sua confirmārunt? num admirabili consensu & concordia vigent? num vitæ quadam diuina et cœlesti sanctitatem & integritatem illustres sunt? num doctrinam quadam eximiam, quæ omnem veterum erudi-

eruditio[n]em longis passibus post se relinquat, adferunt? num salutarem profectum vitæ & doctrinæ, in dies maiorem ac maiorem ostendunt? nihil certè horum. Quid sit euersum, videmus; quid sit extructum, non videmus: quid extirpatum sit, sentimus; quid satum, nondum perspicimus: nisi fortasse pro fide ac religione, perfidiam; pro Euangeliū veritate, flagitia; pro pace et charitate, intestina bella, ac in omnes bonos acerbū odium: pro modestia, superbiam; pro libertate et moderatione, licentiam; pro castitate, libidinis indomitum laxamentum; pro tranquillitate, saeuan tempestatem; pro obedientia, legitimi imperij contumeliam; pro diuini amoris studio, rerum sacrarum, quæ amorem diuinum excitabāt, exitium orbi Christiano inuixerunt. Atqui dices; eos nihil aliud profiteri, quam se purum verbū Dei docere, sacraq; Scriptura niti. Porro verbis, quicquid libet non satis est affirmare; exempla diuinæ virtutis, non voces inanes, requirimus: neque satis est verbo tantum affirmare, ut id continuò credendum sit; non audio verba, sed opus attendo. Quis hoc idem ex veteribus bæreticis, quis ex nostris, professus non est?

P ij Atqui

Ioan: 8.

*Atqui dicit veritas ipsa: Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum: alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium cius quod perhibet de me. Veritatis testimonium, si ipsa de se testetur, non erit verum: hominis natura mendacis & errori obnoxij, pro seipso in priuata causa, testimonium accipiemus? Nos, inquiunt, & vita, & doctrinæ suæ, locupletes habent testes.*

Psal: 115.

*non erit verum: hominis natura mendacis & errori obnoxij, pro seipso in priuata causa, testimonium accipiemus? Nos, inquiunt, & vita, & doctrinæ suæ, locupletes habent testes.*

Epistola 75.

*Atqui docet magnus B. Basilius, Oportere par saltem facultate instructum esse illum, qui de alicuius doctrina, aut scriptis iudicaturus est, qua ille ipse, qui docet aut scribit, prædictus sit. Nam & de opere rustico nemo potest recte iudicare, nisi Agricola: & de recto & sua ui concentu, nisi Musicus. Doctrinæ autem quomodo erit ille iudex, qui neque præceptorem suum monstrare potest, neque tempus quo discebat? Multum autem opus esse elaborare, & multas insomnes noctes ducere, multasq; lachrymas ad Deum profundere, illum, qui veritatem querit; quiue eius causa unitatem fraternalm aliquo modo perturbare velit, docet idem Basilus. Nimiris ludimus in rebus maxi-*

Ibidem.

## EPISCOPI.

111

maxime seris, cum iactura salutis & felicitatis nostrae, omnium autem rerum humanarum extrema perturbatione. Sint testes, ait idem Basilius,  
oculi iustorum, & aspectus virorum perfectorum, qui illud liberè ac verissimè dicere possint: Plura quam vos nouimus, atque inter  
nis viciorum spinis non tantopere suffocamur; neque paucis ornamentis multiplicem  
maliciam admiscuimus; quales nostra etas, vel  
nulos, vel paucissimos cum ferat, yetus saecu-  
lum nobis est appellandum, veteris saeculi ius-  
dicijs utendum. Deinde Reges atque Prin-  
cipes, omnesq; illi, penes quos conferendarum  
tantarum dignitatum & munerum summa testi-  
monij est, mihi sunt commonendi, eam legem Dei  
esse, Ut si steterit testis mendax contra homi-  
nem, accusans eum prævaricationis; stabunt  
ambo quorum causa est, ante Dominum, in  
conspectu Sacerdotum & Iudicium, in diebus  
illis: cumq; diligentissimè perscrutatus inueni-  
erit falsum testem dixisse contra fratrem su-  
um mendacium, reddent ei sicut fratri suo fa-  
cere cogitauit, & auferes malum de medio tui:  
vt audientes ceteri timorem habeant; & ne  
quisquam

Epist: 86. 87.

Deuter: 19.

quisquam audeat talia facere. Non misereberis eius. Quòd si in vnius hominis peculio, aut vitæ periculo, testis iniquus tam abominabilis est coram Domino, tantisq; plagi vapulat: quid in peculio et sorte hæreditatis filij Dei? quid in salute sponsæ & corporis IESU Christi Ecclesiæ sanctæ, pro qua ille seipsum tradidit, crucemq; ac mortem acerbissimam sustulit? Quid in periculo æternæ salutis, vel interitus tot animarum, si quis aut per negligentiam, aut per benevolentiam, aut per fœdissimum quæstum mentitus fuerit; ac pro Sacerdote mercenarium, pro Pontifice lupū, pro Pastore furem & latronem, testimonio suo Ecclesiæ Dei præfecerit? quibus, & quantis hic ipse plagi obnoxius erit? Non est enim hoc consulere populis, inquit sanctus LEO, sed nocere; nec praestare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum. Et difficile est ut bono peragantur exitu, que malo inchoata sunt principio. Recenset Auerni pœnas Latinus Poëta, quas inferentes Orci præsides, reprobrant noxijs: Vendidit hic patriā auro, dominumq; potentem imposuit. Quantò iustius, & cum maiore

maiore horrore id dicetur: *Vendidit hic Ecclesi- am auro, Pastoremq; negligentem imposuit, ne- quissimo quæstu. Omnium damnationis causam & pœnam sustinebit ille, qui malum pastorem & præfectum dedit. Qui enim cordi vulnus intu- lit, totum læsit corpus. Languente enim corde, in cassum membra vigent. Frustra miles conten- dit, si ab ipso militiæ duce erratur. Totius fa- milie domini status & ordo nutabit,* ait san- Epist: 87.  
*Etus Leo, si, quod requiritur in corpore, nō in- uenietur in capite. Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici eum qui eligit, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut au- tem boni operis sibi comparat fructum, qui rectū seruat in eligendo Sacerdote iudicium; ita graui semetipsum afficit damno, qui ad summum digni- tatis subleuat indignum. Qui cui potestatem facit, inquit Chrysostomus, volenti Ecclesiam Lib: 4. de di- corrumpere, is certè author fuerit eorum o- gnitate Sacer dotali.*

*Et ea quidem mala quæ nos diuexant, mole- stissima nobis sunt: hæc ipsa religionis Christianæ in multas partes fœda dilaceratio; hæc om- nium rerum, tam diuinarum, quam humanarū,*

Q

Summa

summa perturbatio; hic ipse legum, magistratum, iudiciorumq; contemptus; hæc inobedientia, atq; omnis veteris disciplinæ dissolutio; praui & corrupti mores, discordiae, bella, factiones, tumultus: si autem causas & origines earum rerum diligenter expenderimus, ipsimet tantorum malorum fabri & auctores sumus: dum pueros viris, laicos Sacerdotibus, profanos religiosis; ignaros doctrinæ, impuros, & omni scelere a prima sua ætate imbutos, rebus sacris, ac hominum expiadis vitijs, leuis nonnunquam compendij causa praeficimus; quæ postea ne quicquam magno, si fieri possit, redimere vellemus. Sed & populus Christianus nobis compellandus est: Num ita Pastoribus suis, ut par est, iuxta præceptum Pauli, uti Christo Domino, pareat? Num sine voluntate & auctoritate eorum, nihil agat? num debitum honorem & reuerentiam, illis tribuat? num decimas & primitias laborum suorum, magna cum læticia & hilaritate, uti præcepit Dominus, illis reddat? num eos, tanquam parentes, amet & reuereatur? num maiorum suorum legibus & institutis obtemperet? qui graui multa eos puniunt; qui præsente Archiepiscopo aut Episco-

Episcopo, vel impurū aliquod verbum protulerit, vel minus moderate se gesserit; an officiū præstare se Deo, cum Iudeis atque fœdissimis Tyrannis arbitratur, si aliquid contra honorem, sanctitatem & autoritatem eorum dixerit, aut sanxerit? si in aliqua parte eorum fortunas atque dignitatem laeserit; si aliquid ex eorum possessionibus per sacrilegium auerterit; an filij sunt Belial, filij sine iugo: ut spreto Samuele Deum spernant, & tradantur in manus Regis Babyloni; ut discant distantiam seruitutis Dei, à seruitute Regis terrarum?

Vos deinceps sanctissimi Antistites compellos-  
num fidem semel datam sancte & intemerate ser-  
uetis? num sacrorum Symbolorum & mysterio-  
rum puritatem, vitæ innocentia & integritate  
repræsentetis? num capita vestra, & manus ve-  
stras, sacrisunctionibus nitentes, puras & mun-  
das ad Deum cœli pro salute populi tendatis; ut  
sitis omnium quidem bonorum exoratores, malo-  
rum autem auersores? num ascendistis ex aduer-  
so, & opposuistis vos murum pro domo Israël; ut Ezech: 13.  
stetis in prælio in die Domini? Num cum fi-  
deli Mose in perfractione decicti parietis domus

Q ij Domini,

Psal: 1.

Domini, vitam et corpora vestra, murum pro salute populorum obiecistis? Num in lege Domini meditemini die ac nocte, ea discentes quæ alios doceatis? Praeconis enim officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit; ut ante aduentum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse clamando gradiatur: si autem Legis diuinæ est ignarus, quam clamoris vocem datus est præco mutus? Num opibus ad subleuationem pauperum, an ad luxum vel auaritiam? num dignitate ad salutem & ornamentum populorum, an ad ambitionem & vanam gloriam? num potestate ad defensionem afflictorum, an oppressionem debilium usi estis? Vestris quidem fulcimento & præsidio, alienis autem terrori & trepidationi; ut ruant qui noxiè stant, digni erigantur. Quòd si facitis, macti ea virtute esse, columnæ & firmamenta Ecclesiæ Dei; expectantes Principis Pastorū illam magnificam vocem: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituā, intra in gaudium Domini tui.

Matth: 25.

Matth: 21.

Sin aliter, verendum est, ne malos male perdat, vincam autem suam locet alijs operarijs.  
In Episto: ad Titum, Sermonem primo.

mam

mam scandalisat, expedit ei, ut mola asinaria  
suspendatur circa collum eius, & demergatur  
in profundum maris : qui tot animas scanda-  
lisat, & vrbes integras, & plebes, viros, mulie-  
res, pueros, ciues, rusticos, incolas suę ciui-  
tatis, aliarumq; vrbium, que illi subiecte sunt,  
quid pati merebitur? Nempe vero si plura tri-  
plo, quam diximus, addas, nihil dicturus es,  
adeo vehemens poena atque cruciatus huius-  
modi hominibus imminet. Nam si horremus, *Chrysostomus de Sacerdotio Lib: 3.*  
dum iudicium id nobis subeundum est, in quo peccatorum proprietatum rationem reddituri  
sumus ; ut qui sentiamus, nos ignem illum æ-  
ternum effugere nequaquam posse : quid illi  
expectandum est, qui tam multorum nomine  
causas sit dicturus? Quod autem hoc verum  
sit, audi beatum Paulum, seu potius non Pau-  
lum, sed Christum Pauli ore loquentem : *Paulus ad Hebreos 13.*  
rete ḥs qui præsunt vobis, & concedite : nam  
illi vigilant pro animis vestris, tanquam rati-  
onem reddituri. Hiccine exiguus tibi videtur  
comminationis terror ? equidem illum, quan-  
tus sit, verbis exprimere non possum. Maxi-  
mè autem puniendi illi fuerint, qui post eum *Chrysostomus de Sacerdotio Lib: 4.*

Q iij hono;

honorem studio atque ambitione adeptum,  
vel per ignauiam, vel per maliciam, vel per  
imperitiam, re ipsa non recte vtuntur.

*Tu vero sancte ANTISTITES, noua creatura  
Dei, diligenter te circumspice, quis fueris, &*

*Libro 2. De qui nunc sis. Quis in natura, ait BERNARDUS,  
Consideratio quis in persona; qualis in moribus, quæ sub  
ne. te, quæ circa te, quæ supra te sunt: quid, cui,  
& apud quos promiseris. Tenetur vox tua,*

*In libro de ijs dicit AMBROSIUS, non in tumulo mortuorum,  
qui mysterijs sed in libro viuentium: præsentibus Angelis  
initiantur,*

*Cap. 2.*

*locutus es, sed & ipso Christo. Considera de-  
mùm, cuius dignitatis, sanctitatis formæ atque  
pulchritudinis, decoris item & maiestatis, spon-  
sam acceperis: Una est matri suæ, electa genitri-*

*ci suæ; vt aurora consurgens; pulchra vt luna,  
electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordina-  
ta: cui datum est, vt cooperiat se byssino splen-  
denti & candido: quam lauit & sanctificauit*

*sponsus eius, mundas eam lauacro aquæ in ver-  
bo vitæ; & tradidit seme ipsum pro ea, vt exhi-  
beret sibi gloriosam, non habentem maculam aut  
rugam, columbam suam, perfectam suam: quam  
eandem maxima & preciosa dote Corporis et San-*

*guinis*

*Ephes: 5.*

guinis sui, Sacramentorum, hereditatis incorruptibilis et incontaminatae, immarcescibilis conseruatae in cœlis, largè et prolixè donauit: quā tot filiorum greges sanguine agni conspersorū, vndique circumstant. Quia igitur diligentia & cautione ea ipsa pulcherrima mulierū tibi custodiēda erit, vt eam reddas sanctā et immaculatam Sponso suo iudici futuro; aut pro quali tibi deposito causa dicenda, ratioq; reddenda erit? Cogita item, quæ sit ista tua totius ornatus & habitus immutatio? In quo solio confederaris: et altiorem tu quidē locū sortitus es, sed non tatiorem; sublimiore, non securiore. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Gene: 28. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est: locus Christi est, ubi steterunt pedes eius. Locus il- Exodi 3. linus est, quē constituit Deus dominū domus suæ, Psal: 131. et principē omnis possessionis suæ. Isteq; Sacerdotij tui externus habitus, tuæ mentis ornatus designatio est. Nam Pontificalem gloriā, vt dixi, non iam nobis honor cōmendat vestium, sed splendor animarū. Quicquid igitur ista velamina in fulgore auri, in nitore gemmarū, et in multitudinis operis varietate significant, hoc in tuis moribus actibusq; clarescat; vt his utaris ad ædificati-

Q iiiij onem,

onem, non ad destructionē; ad ornatum ordinis,  
non ad fastū personæ. Domabis lupos, sed ouibus  
non dominaberis; pascendas utiq; nō premendas  
suscepisti: tene mediū, si non vis perdere modum.  
locus medius tutus est; mediū sedes modi, et modus  
virtus. Ut qui nunc gloriosus et conspicuus in hoc  
habitu nobis omnibus appares, eundem te in hac  
ipsa stola integra et immaculata, iusto et incorru-  
pto iudici sistas: ut hic ipse habitus et ornatus illo  
die splendor et decus sit in te, non testimoniu contra te. Et quod humano ore iam diceris, ante eius  
qui te tali dignatus est honore, æquissimos oculos  
existas. Benedicat igitur tibi Dominus ex Sy-  
on, ut videas bona Hierusalem. Det verbū euangeli-  
fisi anti virtute multa: ipse dexterā tuam manus  
sua teneat, et in consilio deducat, et cū gloria su-  
scipiat: Pastorem pascat, ductorem ducat; ut ipsi-  
us gregem scite ac perite pascas, et videas filios  
filiorum ministerij et functionis tue: pacem  
super Israël. Dicat omnis populus,

A M E N.


¶


m ordina,  
sed oīlēm  
remendas  
e modum.  
et modum  
u in hoc  
in hac  
ncorru-  
atus illo  
nū con-  
nte eius  
os oculos  
s ex Sy-  
u cuan-  
manu  
ia su-  
ips-  
filios  
em

## MATTHÆI XVI.

Quid enim prodest homini, si mundum uni-  
uersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum pa-  
tiatur? Aut, quam dabit homo commuta-  
tionem pro anima sua?









# EXCIDIVUM HIEROSOLYMI= TANVM:

Sive de Causis ultimi Excidij ur-  
bis illius:

AD SERENISSIMUM STEPHANUM  
Poloniæ REGEM: Stanislai Socolo-  
uij Concio.



CRACOVIAE,  
In Officina Lazari: Anno Domini 1580.

HAGIDIAMI

ANNO 1590



# STANISLAI SO<sup>3.</sup>

COLOVIL, DE CAVSIS SUPRE-  
MI EXCIDII HIERO-  
SOLYMITANI,

## Concio.

Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam,  
dicens : Si cognouis Ies, et tu. Lucæ: xix.



IVITATEM SV<sup>3</sup> Isaie 26.  
perbam humiliabit; hu-  
miliabit eam vsque ad  
terrā, detrahet eam vsq;  
ad puluerem : conculca-  
bit eam pes, pedes pau-  
peris, gressus egenorū;  
vt non sit amplius ciui-  
tas, & in sempiternum non ædificetur.

Eiusdem ciuitatis supremū exitium, ultimamq;  
cladem, multò antè his verbis prædixit Isaias; cu-  
ius nunc acerbissimū casum, lethaleq; vulnus, ipse  
deplorat sponsus & hæres : Si, inquit, cognouis

A ij ses, &

ses, & tu ; & quidem in hac die , quæ ad pacem  
sunt tibi: nunc autem abscondita ab oculis tuis.  
*Nec deplorat tantum, verum etiam omnis istius  
humiliationis ac deiectionis, ob oculos rationem  
ponit & modum.* Venient, inquit, dies, & circū-  
dabunt te inimici tui vallo , & coangustabunt  
te vndiq, & ad terram prosternent te, & filios  
tuos qui in te sunt : & non relinquunt in te la-  
pidem super lapidem ; eo, quod non cognoue-  
ris tempus visitationis tue. Ut illud simul eius-  
dem *Isiae* compleatur : Posuisti ciuitatem in tu-  
mulum, urbem fortē in ruinam , domum alii  
enorum ; vt non sit amplius ciuitas. Cuius  
tam tristis & miserabilis cladis, cùm superiore an-  
no summam et rationem omnem vobis exposuerim;  
nunc, quæ, & quanta, hæc fuerit ciuitas, et quas  
ob causas extremo vulnere percussa, ex tam alto  
dignitatis culmine deciderit ; demonstrandum du-  
xi, ut discant Regna, Resquē pub. Christianæ, nō  
magis opibus et viribus, magnitudiniq; suæ; quam  
æterni parentis auxilijs, benignoq; fauori confide-  
re ; simulq; illud perspiciant, quæ causæ salutis &  
incolumentatis, quæ item interitus & exitij earum  
sint. Cui argumento tam graui & pernecessario,  
quò

HIEROSOLYMITANO.

5.

quò pares aliqua ex parte esse possimus, opem diuini numinis imploremus.

**H**ierosolymæ vrbis, de qua nobis præsens dicendi institutum est; vel conditoribus & antiquitate ipsa; vel amplitudine & dignitate; vel opibus & facultatibus; viribus item & munitionibus, princeps gloria, ante alias omnes vrbes semper fuit; ac quasi ipse immortalitati comparata. Chananaei banc multis annis, ante Agyptiacam seruitutem, datamq; legem, maximis opibus, summisq; præsidis considerunt. In eo loco, inquit Hieronymus, v. Epist: 17. bi & habitasse, & mortuus esse, Adam dicitur; ut secundi Adam, id est Christi, sanguis de cruce stillans, primi Adam iacentis peccata dilueret. Primus vrbis fundator Melchisedech fuit, Rex & Sacerdos Dei sanctissimus; primusq; et Regni, & Sacerdotij, venturi Messiae adumbrator amplissimus; dum in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Cui Abraham victimis & profligatis quinq; Regibus, ex omni illa uberrima præda, honoris & religionis causa, decimam detulit partem. Magnus quidem hic vrbis con-

A ij ditor,

## 6. DE EXCIDIO

*Psal: 86.* ditor, sed longè maiorem celebrat David. Fundamenta, inquit, eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea? & ipse fundauit eam altissimus. *Et in alio loco:* Deus fundauit eam in æternum. Hinc orta duobus totis millibus annorum, centum & septuaginta septem annis, magna laude, summo splendore, maxima omnium gentium admiratione, princeps Imperij Israëlitici stetit. Sedem hic & domicilium nominis sancti sui, Regni item, omniumq; promissionum suarum, fixerat Deus ipse. Domum Regis ædificari, arcam fæderis collocari, templum sacratissimum ac famosissimum extrui, in eo loco voluit: cum quo sacra, cærenias, sacrificia, omnemq; cultum suum ita coniunxerat; ut hæc nusquam aliâs, quam in eo loco administrari voluerit. Illuc ascenderūt, inquit David, tribus, tribus domini, testimonium Israël ad confitendū nomini domini. Ex eo templo, tanquam de summo cælo, omnibus gentibus & nationibus, opem et præsens auxilium se laturum pollicebatur, quicunq; modo eò supplex tempore suo necessario configisset. Huc igitur Reges, huic Princi-

## HIEROSOLYMITANO.

Principes, *huc Imperatorum quiq; maximi, preces votaq; deferebant sua*; Cyrus, Darius, Alexander Macedo, Ptolomæus, Seleucus, Pompeius, cæteriq; quam plurimi, ut illud Davidicum planè impleretur: Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eū. Quoniā ecce Reges terre congregati sunt, conuenerūt in vnū. Illudq; pleni admiratione fateri coacti sunt: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate domini virtutū, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternū. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Illic item sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid. Sublimis tūm fuit illius urbis gloria, magna maiestas, sed multò maiorem sub Rege Messia futuram fuisse prædixerat Hieremias. Ingredientur, inquit, per portas ciuitatis huius Reges & Principes, sedentes super solium Dauid, & ascendentes in curribus & equis, ipsi & Principes eorum, viri Iuda & habitatores Ierusalem: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ierusalem, & de terra Beniamin, & de campestribus, & de montosis, & ab austro, portantes holocaustum, & victimas, & facrī.

Hier: 17. 22.

sacrificiū, & thus, & inferēt oblationem in domum Domini. Quæ omnia prolixissimè completa fuissent, nisi tantis promissis, tantæq; Dei munificentia, incredibilis illius populi malicia & improbitas obstitisset. Meritò igitur eam tantis laudibus, tantis elogij ornat diuinus vates. Elegit, inquit, Dominus Sion, elegit eam in habitacionem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, h̄c habitabo quoniam elegi eam. Vidiuam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Meritò pro eius salute ea concepit vota: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus eum. Fiāt pax in virtute eius, & abundantia in turribus illius. Cūmīq; Deus offensus placari debebat per templū, per eam ciuitatem exorari voluit. Magna igitur dignitas, magna amplitudo eius urbis; sed et opes & diuitiae maxime. Tempora, & opes Salomonis, sic describit liber III. Regum: Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomonis per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talent

Regum lib: 3.  
Cap: 10.

talentorum auri, excepto eo, quod offerebant  
viri qui super vectigalia erant: & negotia-  
res, vniuersisq; scuta vendentes; & omnes Re-  
ges Arabie, Ducesq; terre. Fecit quoq; Rex Sa-  
lomon ducenta scuta de auro purissimo ( sex  
centos auri siclos dedit in laminas scuti vnius )  
& trecentas peltas ex auro probato: Trecētæq;  
ming auri, vnam peltam vestiebant. Posuitq;  
eas Rex in domo saltus Libani. Fecit etiam  
Rex Salomon thronum de ebore grandem, &  
vestiuit eum auro fuluo nimis; qui habebat  
sex gradus; & summitas throni rotunda erat in  
parte posteriori: & duæ manus hinc atq; inde,  
tenetes sedile: & duo leones stabant iuxta ma-  
nus singulas, & duodecim leunculi stantes su-  
per sex gradus hinc atque inde. Non est factum  
tale opus in vniuersis regnis. Sed & omnia va-  
sa, de quibus potabat Rex Salomon, erant au-  
rea: & vniuersa supellex domus saltus Liba-  
ni, de auro purissimo. Non erat argentum, nec  
alicuius precij putabatur, in diebus Salomonis;  
quia classis Regis per mare cum classe Hiram  
semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens  
inde aurum & argentum, & dentes elephantos.

B

rum,

rum, & simias, & pauos. Magnificatus est ergo Rex Salomon, super omnes Reges terre, diuitijs & sapientia: & vniuersa terra desyderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quā dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes, & arma bellica: aromata quoq; & equos, & mulos, per annos singulos. Congregauitq; Salomon currus & equites; & facti sunt ei milie quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & disposuit eos per ciuitates munitas, & cum Rege in Hierusalem. Fecitq; vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem quasi sycomeros, quæ nascuntur in campestribus. Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa, & statuto precio perducebāt. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto, sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atq; in hunc modum cuncti Reges Hethorum, & Syriæ, equos venundabant.  
*Hactenus Scriptura. <sup>magnum</sup> Magnum hoc fuit vestigal, magnæ opes, & Regis, & vrbis, quæ ta-*

## HIEROSOLYMITANO.

11.

men post ipso tempore in immensum planè creuerant; nam & reliqui Reges, & ad opes, & ad ornamenta vrbis, plurimum addiderunt. Ibiq; probatum est, quantum momenti ad omnia incrementa rerum & facultatum, æterni parentis fauor ac bencuolentia adferat. Bono igitur animo sit Rex meus, cum filium pastoris timentis Deum, ad eam opum & facultatum magnitudinem peruenisse videt. Modò & ipse Deum timeat, in omnibus mandatis & iustificationibus eius sine querela incedat; iustitiam colat, ius ex æquò omnibus dicat; sermonibus vulgi se non det; nec in præmijs humani spem reponat suam; suis illecebris illum virtus ad proprium decus trahat; spem autem & fiduciam omnem in Deo, fonte omnium bonorum munificissimo, reponat suam. Magnæ ergo opes fuerant illius vrbis; sed & magnum robur, vires, & munitiones maximæ. Vocabat Isaias eam ciuitatem *Isiae 29.* Arie, hoc autem est, Leonem Dei, propter summa præsidia & vires. Vnde illud lamentum Hieremie: Non crediderunt Reges terre, & vniuersi habitatores orbis, quod ingredetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. Stupebat Pompeius, inquit Hegesippus, primo suo ingressu,

B ij gressu,

Thren: 4.

gressu, acres virorum animos, muri decorum & magnitudinem. Sed & res ipsa docuit. Duos enim præstantissimos populi Romani Imperatores, **TITVM & VESPASIANUM**, priusquam expugnaretur, defatigauit; quos ipsa obsessa aliquando obsidione cinxit, quatuor deiectis muris, temploq; succenso, triginta tamen millia Romani exercitus in urbem ingressa, vix ad reliquias illius populi cōficiendas, idq; vario Marte, suffecerunt. Nec tamen ullis opibus, aut viribus humanis; sed summa sua nequitia & improbitate consumpta, perijt; dum plures interna seditio, quam externum confecit bellum: Romanis spectatoribus potius tantæ urbis ruinæ, quam expugnatoribus. Omnia igitur in ea ciuitate summa, omnia immortalitati cōparata; quam ipse Spiritus sanctus, qui nec assentari, nec mentiri potest, per os Hieremiæ, Dominam gentium, Principem Provinciarum, urbem perfecti decoris, & gaudium vniuersæ terræ, appellare solet. Quam sacri Euangelistæ, ciuitatem sanctam vocant. Ipse autem excelsus præ cunctis Regibus terræ, Christus Dominus, Davidico elogio, Ciuitatis Regis magni eam honorauit. Quantò enim Iudea cæteris prouincijs, inquit Hieronymus; tā-  
to bæc

tò hæc vrbs cuncta sublimior fuit Iudea: quicquid  
in membris laudis fuit, totum referebatur ad ca-  
put. Quantos hæc vrbs Reges, quantos Pro-  
phetas, quantos Sacerdotes, quatos homines Deo  
charos emiserit, longum est recensere. Magnus  
Dominus, & laudabilis nimis, inquit DAuid: *psal: 47.*  
In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, fun-  
dat exultatione vniuersæ terre mōs Sion, latera  
aquinoris, Ciuitas Regis magni; sicut lætātium  
omniū, habitatio est in ea. Quæ igitur causa  
tam fæde ruinae? Cur proiecit Dominus de cœlo  
inlytum Israël, & non est recordatus scabelli pe-  
dum suorum, in die furoris sui? Ciuitatem illam,  
de qua dicebatur, Deus in medio eius, non com-  
mouebitur. Adiuuabit eam mane Deus diluci-  
lo. Arcum conteret, & confringet arma; scuta  
cōburet igni. Superfluū credo videbitur, cau-  
sas interitus, & euersionis eius vrbis, curiosè per-  
quirere; cùm illa sola sufficientissima sit, quam tot  
Prophetæ, tot sanctissimi prædixere viri; Mors,  
inquam, IE SV CHristi, veri Messiae. Super  
tribus sceleribus Israël, inquit AMOS, &  
super quarto non conuertā eum: pro eo, quod Amos cap: 2.  
vendiderunt pro argento iustum, et pauperem

B ij pro

*Michæl 5.* pro calciamentis. *Et MICHeas*: Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos: in virga percutient maxillam Iudicis Israël. *Et ante hos omnes IACob*: Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. *Et ipse D0minus*: Quia, inquit, non cognouisti diem visitationis tue. *Mors, inquā, Messiae, mortis et interitus illius urbis causa fuit. Verūm malū hoc, multa alia necesse fuit antecessisse mala*, nec erat hoc primū Iudeæ delictum. Peccata enim peccatis vindicantur, idq; leuiora grauioribus semper; ubi mature vera pœnitentia, & intimo animi dolore, non expiantur, donec insigni aliqua ac incurabili obsignentur calamitate. Docet hoc Diuus P Aulus, dum, quæ causa fuerit cœcitatis, fœdiq; lapsus veterum sapientum, exponit: Quia cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium:

propter

propter quod tradidit illos DEus in desyderia cordis eorū, in immundiciā, vt contumelijs afficiant corpora sua, in semetip̄sis. *Hæc Paulus.*

*Quod & nunc passim fieri videmus, Ecclesiam Dei, ouile IESu Christi, reliquit quispiam, hæres sequutus est; templa, arasq; Deo sancte dicatas, expoliauit, atq; ad extremum euertit: vas a sacra, per sacrilegium ablata, prophanauit; Sacerdotes pulsauit; sacramentis, salutis suæ remedij, abusus est: Fidem in Baptismo datam, prodidit: Filium Dei blasphemauit, ostentuiq; habuit: non fuit hoc primum eius hominis delictum, non prius peccatum; multorum scelerū hic vltimus fructus, vltima clausula est. Qualcm plagam & pœnam, Supplex & gemens deprecatur David: Ne proijs psal: 50. cias me, inquit, à facie tua, & spiritum sanctū tuum ne auferas a me. Redde mihi læticiam salvataris tui, & spiritu principali confirma me. Magnum enim hoc est diuini furoris argumentū, vulnus incumbile, vltima planè sceleres vltio. Nec populi ergo Iudaici primum scelus fuit mors Christi, complementum & obsignatio hæc erat universi cursus nefarij; vt veniret super illos omnis sanguis iustus, a sanguine qui effusus est super terram iuu-*

ram iusti Abel, usque ad sanguinem immaculati Agni IE SV Christi. Sed quae tandem mala hoc ultimum, sine remedio, pepererunt malum? aut quibus gradibus haec tanta ciuitas, ad eam ultimam delapsa est ruinam?

Prima illa fuit malorum causa, primusq; præcipitijs gradus; Legis Diuinæ, autæq; religionis, quæ una, & simplex, semper in illo populo fuit, in multas sectas, variasq; hæreses distractio. Cum enim primis temporibus gens illa, uno animorum et voluntatum sensu ac consensu, Deum coluisse, legemq; eius, & Prophetas, interpretaretur; uno ite nomine Israëlis, populiq; Dei, appellabatur. Posterioribus temporibus, ocio, & rerum omnium copia, veterisq; disciplinæ remissione depravata; curiosius, minusq; sanctè & sobrie, arcana legis tractare cœperit: inde in varias sectas, variaque schismata, discessum est; noua quædam nomina scripturæ, maioribusq; eorum incognita, usurpari cœpta: dum se alij Sadduceos, alij Scribas, alij Phariseos, alij Eremobaptistas, alij Nazareos, alij Ossænos, alij Herodianos, alij Essæos, dici & haberi volunt: quæ nomina tum primùm inuecta sunt, ubi respub. ipsa, et ciuitas, ad certum exitium

exitium & calamitatem propendere cœpit. Ex quibus se. tarum partibus, quidam totam legem, omniaq; ea, quæ à Prophetis erant prædicta, amplexi sunt; ut Pharisei. Quidam arbitratu suo, alios quidem libros, quos sequerentur, laudabant; alios, prout illorū sensui, voluptati, utilitatī, aplaudebant; tanquam prophanos, minusq; germanos, reijciebant; ut Sadducei. Quidam D Eum, omnium bonorum fontem et authorem, profitebantur; ab eiusq; munifica prouidentia, cœlum, & universam naturam complectentem, omnia expectanda esse, docebant. Animas nostras, diuinæ et immortales esse: quibus, pro virtutis quidem studio, cœlestis hereditatis; pro scelere autem, æternum paratum sit supplicium: Phariseorum, & Essæorum, fuit hæc sententia. Quidam casu & temeritate omnia ferri, post hanc vitam nullam aliam superesse lucem arbitrabantur: ijsdem finibus virtutis & pictatis præmium, quibus vitam & sensum terminari: vltinatum tumulum extre mosq; cineres, nibil hominis superesse: præmia honorū, pœnas autem malorum esse nullas: Sadduceorum hic insanus & exitiosus fuit error. Alij solis diuinis promissis contenti, nihil his externum admiscebant.

C

Alij

Alij præter hæc Græcorum fabulas, de beatorum  
Inſulis, ac Hesperidum felicitate, sequebantur.  
Sic in variaſ ſectas hæreſesq; diuiſi, quisq; in eam  
partem, in quam ſibi utile eſſe exiſtimauit, ſenſum  
ſim- mentem Legis trahebat: ex vnaq; vena & ſim-  
plici religione, multas vanas falſasq; ſuperſtitio-  
nes pepererunt. Habent autem hoc malum Hæ-  
reſes atque ſchismata, varij q; de religione ſenſus;  
ut quacunque Republicas ſemel inuaſerint: illæ  
ſalutem et incolumitatē ſuam nullo modo diutiū ſu-  
tueri, aut conſeruare poſſint. Hæcq; fuit ciuita-  
tis illius primæ ruine cauſa, hæc prima inclinatio:  
& quos tempore IEroboam, aliorumq; Regum,  
qui a verò diſceſſerunt Deo, excelsa, & luci fal-  
ſorum Deorum non perdiderunt; hos hæreſes &  
ſchismata, ad ultimam internectionem deduxerunt.  
Teſtatur hoc ita eſſe, vetuſiſſimus ſcriptor Hege-  
ſippus: Præter inquit, ſectarum, & cultus diuer-  
ſitatem, que in malum publicum eruperat, vt  
e diuero ſe perditos vellent; auaricia habendi,  
& rapiendi cupidio, animos inuaſerat; vt nullus  
quem præde ſtudio deputaſſent, neci parcer  
dum exiſtimarent.

Fuit

Fuit secunda illius tantæ clavis non minor  
causa, summa populi illius arrogantia, maximus  
fastus, cum incredibili quadam pertinacia, animoq;  
ingrato coniunctus: Qua primum ipsum Deum pa-  
rentem benignissimum, qui circumduxit eos, & do-  
cuit, & custodiuit tanquam pupillam oculi sui; si-  
cut aquila prouocans ad volandum, portauit in  
bumbris suis: constituit super excelsam terram, ut  
comederent fructū agrorum. Sanctissimas item il-  
lius leges spreuerunt; ut illud plane sublato in cœ-  
lum ore, incrassati, inpinguati, dilatati, superbè  
dicerent: Manus nostræ excelsæ, & non Do-  
minus fecit hæc omnia: labia nostra à nobis  
sunt; & quis noster est Dominus? *Nusquam*  
*ius, nusquam religio fuit: nobilior is erit, qui plu-*  
*ra diripuerat, quasi præmia congerens fortitudi-*  
*nis, vt scribit Hegesippus; id quod quisq; per vim*  
*& nefas impuerat. Deinde Prophetis eius, signisq;*  
*ac portentis evidentissimis, que illorum certissimū*  
*denunciaabant, ac vix non digito demonstrabant*  
*præsens exitium, eadem arrogantia nullam fidem*  
*adhibuerunt. Omne, inquit IOSEPHUS, ab illis*  
*ius humanum calcabatur. Ridebatur etiam di-*  
*uinitas Prophetarum responsis, tanquam vul-*

Exodi 32.

psal. ii.

C ij garibus

garibus fabulis illudebant; certis vero prodigiis, & futuram solitudinem denunciantibus, neque attendebant animo, neque credebant; sed veluti attoniti, nec aut oculos habentes, aut animos, Edicta Dei dissimularunt; signorū quædam pro sua libidine interpretati sunt, alia cōtempserē; donec patrię excidio, suaq; pernicie, eorum iniquitas confutata est. *Hæc ille.*

*Hinc eorum superbia profecta, finem inuenit nullum; Sacerdotes, Reges, Duces, aliosq; domesticos magistratus, ipsumq; adeò Regem M<sup>E</sup>ssiam, contumeliosè spreuerunt: pro Rege Cæsarem, fatali & nefaria voce apud Pilatum appellantes.*

Sed neque hunc diu patienter pertulerunt: nam qui suos perferre non potest, tanto minus alienos.

*Licetia enim non id querit, ut is aut ille præsit, et regnet; sed ut nemo sit omnino quem metuat, quiue eius effrenatæ cupiditati frenos imponat: quæ dū palam dicere erubescit, semper in eo magistratu, qui præsens est, aliquid desiderat; semper conqueritur; semper nouam formam, & speciem rerum exoptat. Spreuerunt ergo primò suos, spreuerunt & Romanos deinde, quibus se sponte dediderunt, magistra-*

*Iosephus li. 2. tus. Simon primus seditionis dux & auctor, tribu-  
cap: 7. de bel-  
lo. audireg p. 3 tum*

tum Cæsari reddendum negavit; indignum esse clamitans, populum Dei idololatræ populi tributarium esse; iniquum gentem liberam, quæ seruiuit nunquam, sumptu simul templi & fisci exauriri.

Sequitus est hunc vir præcipitis audacia Eleasarius, militia dux: hic nullius externi munus, aut hostiam in templum Dei inferendam, aut Deo dicandam, censuit. Id autem erat, inquit Iosephus, Romani belli primum seminarium, et prima origo. Reiecit siquidem hostias Cæsaris, quæ pro salute fortunaq; populi Romani offerebatur, Pontificib. alijsq; Principibus recipub. viris reclamantibus: ac ne vetustissimus honorificentissimusq; & templo & vrbi mos, pro Regibus supplicandi intermitteretur, ne quicquam postulantibus. Quam insignem contumeliam, dum Imperator Romanus perferre non potest, arma bellumq; sumpsit: pacem ergo, inquit Hegesippus, fastu & superbia elati violauerunt, virtute non pares.

Quam secundam præcipiti causam, consecuta est illa tertia, summa Principum templi, pariter ac Reipub. ambitio, & dominandi libido; eiusque causa ad externos Principes, eosq; infideles, cum patriæ ornamentorum proditione, turpiq; assenta-

C iij tione

tione coniuncta perfugia: Quod à Sacerdotibus, qui pro eo, quod omnis moderationis, continentiae, mansuetudinis, auctores esse deberent; omnis improbitatis, sceleris, cupiditatis, duces & principes plerunque sunt, initium & exemplum sumvit.

Primus Simon de tribu Beniamin, Seleuco Asie Regi, potentiae suae firmandae causa, summiq; Sacerdotij consequendi, thesauros, depositumq; templi prodidit. Quam rem secundus Machabæoru

Machab:li:2.  
cap: 3.  
liber sic explicat: Cùm sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges autē adhuc optimè custodirentur, propter Oniq; Pontificis dispositiōnem & pietatē, & animos odio habentes mala: fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent; ita, vt Seleucus Asie Rex, de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Beniamin Pr̄positus templi constitutus, contendebat obſiſtente sibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cùm vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsæe filium, qui illo tempore erat Dux Cœlesyriæ et

Phoenic

Phœnicis; & nunciauit ei pecunij innumera-  
bilis plenum esse ærarium Hierosolymis; &  
communes copias immensas esse, quæ non per-  
tinent ad rationem sacrificiorum: esse autē pos-  
sibile sub potestate Regis cadere vniuersa. &c.

Deinde Iason frater Onig, summum Sacerdotiū  
maxima vi auri apud Antiochum redemit. Quod  
idem Machabæorum liber sic tradit: Sed post  
Seleuci vitę excessum, cum suscepisset Regnum  
Antiochus, qui nobilis appellabatur; ambiebat  
Iason frater Onig summum Sacerdotium: adi-  
to Rege, promittens ei argenti talenta trecenta  
sexaginta, & ex redditibus alijs talenta octo-  
ginta. Super hoc promittebat & alia centum  
quinquaginta, si potestati eius cōcederetur gy-  
mnasium & ephebiam sibi constituere; & eos  
qui Hierosolymis erant, Antiochenos scribere,  
Quod cum Rex annuisset, & obtinuisse Prin-  
cipatum, statim ad gentilem ritum contribules  
suos transferre cœpit. Erat autem hoc non ini-  
tium, sed incrementum quoddam, & profectus  
gentilis & alienigenę conuersationis, propter  
impij & non Sacerdotis Iasonis nefarium & in-  
auditum scelus: ita, ut Sacerdotes iam non cir-

Ibidem ca: 4.

ca ab

ca altaris officia dediti essent ; sed contempto templo, & sacrificijs neglectis , festinarent particeps fieri palestre , & præbitionis eius iniuste, & in exercitijs disci : & patrios quidem honores nihil habentes , Græcas glorias optimas arbitrabantur. *Quæ de re in eum modum IO-*

*Hegesip. li. 5. sephus apud HEgesippum latius conqueritur :*

*cap. 16.* At verò nostri dum Sacerdotium inter se competit, & apud Parthos ambiunt conferri sibi memoratum honorem , de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babylonij querimur ? Nostros experti sumus deteriores ; illi nobis reddiderunt omne ius religionis ; illi Sacerdotum creationem restituerunt ; illi Sacerdotales Infulas permiserunt nostrę potestati ; nos eas Barbaris sponte tradidimus. Minor est circa nos ira Dei , quam nostra contentio.

*Ibidem lib. 4. Hinc è processum est, ut ignobiles atque indigni*

*cap. 6. substituerentur Sacerdotum Principes, qui contra meritum suum adepti Sacerdotia , ad omne nefas conferentium arbitrio subiecabantur. Eamq; ob causam æquo Deoq; digno iudicio , Hierusalem vna cū sacris & Sacerdotio suo, cuius impios mercatus exerceuit, non multò post in Antiochi perue-*

*nit po-*

nit potestatem. Exceperunt à Sacerdotibus parrem ambitionem, paresq; ambitionis artes, Principes Reipub. Aristobulus & Hyrcanus fratres: qui cùm inter se de Regno conuenire non possent, Romanos, à quibus ignorari satius fuit, ad cognitionem & arbitrium Regni inuitarunt; rogaerunt igitur amicitiam, fidem non seruaturi. Ad Pompeium primò, cum Imperio tūm Asiam teneant, configuiunt; ab eoq; paternum regnum, ad quem tūm nihil pertinebat, ambitiosè petunt. Recipitur Pompeius cum exercitu in urbem, suisq; manibus aperiunt portas; non multò post urbis et templi expugnatoribus. Ad templi irruptionem ipse fossas replebant, ait Hegesippus, impioq; ministerio, & turpi obsequio, seruierunt: manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio. Horum igitur contentio, inquit Iosephus, Pompeium intulit ciuitati; et Romanis Iudeos libertate indignos subiecit. Consecuta fuit & alia magis exitiosa, inter Alexandrum, Aristobulum, & Antipatrum, Herodis filios, Regni contentio: quorū illi priores duo, ex Mariamme Regio sanguine orta, Rege Herode nati: posterior hic ex Doride priuata muliere, ipso Herode priuato, genitus; illi genere, hic

D

gratia

gratia patris, elati, communis, & sibi, & patri,  
& alijs multis, Reipub. denique ipsi, causa fuerunt  
exitij. Quis Romanos in Iudeam introduxit?  
inquit Iosephus, nisi Hyrcani & Aristobuli con-  
tentio. Quis Sosium? nisi Herodes. quis Anto-  
nium? nisi Sosius, quis Cæsarem implorauit si-  
bi Regem? nisi vos. quis, præter vos, Antipa-  
trum Regno expulit, & libertatem in Antipa-  
tro? Sic dum utrinque Regnum queritur, u-  
trinque seruitus accersitur, & accipitur. Fœda-  
res est ambitio; que, ut suis imperet, alienis serui-  
re non recusat: omnia deinceps à Romanis quæ-  
rebantur, omnia petebantur.

Ex ambitione natæ sunt factiones ciuiles,  
domesticij; tumultus; veluti quartus ad exitium  
progressus: qui, specie quidem tuendæ dignitatis  
& libertatis suscipiebantur, re ipsa autem Regnum  
& dominationem quorundam astrauebant. Dum  
enim quisque in Repub. primus esse vult, eaq; res  
opibus & adminiculis multorum opus habeat, ad  
conciliandum populum se confert: verum cum opes  
singulorum, ad omnium conciliandos animos, sint  
paruae, species libertatis, qua nihil gratius homi-  
nibus videri solet, stulta obiectur plebis; sub eiusq;  
prætextu,

prætextu factionum firmantur partes. Sic tūm  
in duas dissidentes partes, tota illa ciuitas diuisa  
fuit; alterum popularem, optimatum alterum. Po-  
pularis factionis duces fucrunt, Eleazarus, Simō,  
Ioannes, alijq; eius generis, lingua et manu prom-  
pti iuuenes. Qui cūm sua per ambitionem &  
luxum profudissent bona, ære alieno immenso pressi,  
perturbationem negotiorum Reipub. quæstum &  
lucrum suum esse putabant; qua salua, ipsi salui  
esse non poterant. Publicæ igitur libertates cau-  
sam, contra vim & potentiam populi Romani; cui  
neq; tributa reddere, neq; vota pro illius salute su-  
scipere voluerunt: verbo suscepisse se profitebantur,  
( indeq; Græco nomine Zelotæ, tanquam legis  
ac libertatis publicæ vindices et assertores appelle-  
abantur ) re autem ipsa paupertatis & infamiae  
sue remedia quærebant. Optimatum Duccs fu-  
erunt, ANtanus Pontifex, vir præstantissimus;  
Josephusq; , qui postea totā illius vrbis conuersionē  
litteris consignauit. Qui cūm facile animaduer-  
teret, seram illam tuendæ libertatis dcliberationem  
esse, nec tūm primū Romanis viribus ac potesta-  
ti obuiandum fuisse, cūm iam intni muros ipsiusq;  
vrbis viscera versarentur; sed multò ante rebus in-

D y tegris

tegris, tūm cūm spontē per nimiam ambitionē ac-  
cercebantur, illi malo obſisti debuisse. Suadebant  
igitur populo, vt Dei voluntati ac iuſtissimae vin-  
dictae, ipſijs adeò necessitati cederent. Hæcq; fuit  
quasi prima in aciē ciuitatis illius deduictio. Duo  
ſunt omnibus Rebus publicis, ſi diu ſalutē & in-  
columes permanere volunt, omni studio & diligen-  
tia prouidenda. Primum Libertas; quæ tamen  
cū iuſtitia, dignitate, præſidio, ac reliquis reipub.  
ornamentis ſit coniuncta, omnibus rebus humanis  
anteponenda: pro illiusq; incolumitate & integri-  
tate, totis viribus & opibus dimicandum. Eſt enim  
libertas, pulcherrimum quoddam, & humanae na-  
ture accommodatissimum bonum: ſine qua nihil  
cuiquam iucūdum, nihil dulce eſſe potest: ſine qua;  
vita ipſa parum vitalis eſſe videtur. Deinde,  
nulli & queſuſtē ſucepti habendi, quam illi, qui ciuſ lib-  
ertatis nimij vindices & assertores videri volunt.  
Tales enim ſub ea libertatis ſpecie Repub. ferè  
omnes perdiuerunt. Sic Pericles Atheniensium  
ciuitatem: quæ cūm Solonis legibus & institutis,  
ex optimatum populiq; administratione temperata  
fuiffet; aſſentator populi factus, Senatus authori-  
tate diminuta totā popularem fecit: cui, quamdiu  
ipſe

ipse homo acer et prudens præfuit, florebat vtcunque ciuitas: at ubi ad alios Duces, ipsumq. solum populum eius gubernatio deducta est, funditus interiit. Sic Cæsar et Pompeius Romanum perdiderunt imperium; dominationem enim utriusque quæsum fuisse, non id actum, Beata, libem, & honesta ciuitas vt esset, ac utrumque regnare voluisse docet prudentissimus Senator. Sic Hierosolymam isti eius libertatis & dignitatis nimij assertores, de quibus diximus, hac natione qua audistis perdidierunt. Multis enim dum libertas quæritur, seruitutem accersiri dicebat Agrippa. Libertatis igitur custos lex sit; quæ summis ac infimis æqua reddat & prescribat iura; æquitate constituendi, summa cum infimis pari iure retineantur: nihil contra leges committatur, quod impunè fiat: in alienā dignitatem, fortunas, vitam denique, nemo temere inuadat: quod quis habet, illud se existimet habere: Legum imperio, Iudiciorum seueritate, Magistratum auctoritate, libertas Romana stetit. Malè paucis tantus committit thesaurus.

Ex qua factionum ac domesticorū tumultuum labe, illa ultima consecuta est calamitas, exter-

D ij nus in

nus in urbem missus miles. Dum enim homines populares Optimatibus pares esse non possunt, Idūm̄ eos accersunt; genus hominum turbulentissimū, ad omnesq; motus facile propensum, & rerum mutationibus letum: quod veluti ad festorum quandam solennitatem, dicebat Iosephus, sic ad prælia properabat. Immittuntur in urbem ad viginti millia hominum egentissimorum: quā ingressi, nulli pepercere; tūm quōd natura ad cœdes propenderent; tūm quōd hyeme grauier afficiebantur; tam supplicantibus, quām repugnantibus infensi: nullus autem aut fugiendi, aut salutis enit locus; ita octo millia & quingentos mortuos dies inuenit. Demum, quæ mala consecuta non sunt? Neque enim existimandum est, ullum monstrum, ullā pestem, ullam labem rebus pub. nocentiorē esse, factionibus ipsis, vbi in apertum erumpunt tumultū. Quid tūm mali, erecto quasi publico licentie vexillo, non consequitur? Legibus, iudicijs, recipublīcæq; institutis, iurēq; vniuerso sublato, ac quasi communi sententia in vitam et fortunas impunè violandas omnium perlata. Nihil iam est cuiquā proprium; non domus, non vxor, non liberi, non vita deniq; ipsa. Et quæ aliquando fuerunt vita

Solatia,

Solatia, in causas noui doloris & acerbitatis vertuntur: ita demum, non agri conseruntur, non paucia curantur, non vineæ aut horti excoluntur, non mercimonia exercentur, non nauigationes instituuntur, officinæ clauduntur, litteræ & studia conticescunt, nulla publica aut priuata ædificia surgunt; sed ruunt potius & labuntur omnia. Ab audacissimis et egentissimis hominibus carceres effringuntur, tabulæ publicæ exuruntur, domus potentium et diuitum liberè distrahabuntur, horti et vineæ succiduntur; templa, porticus, aliaq; publica ornamenta fœdantur; nihil tūm improbae cupiditati fit satis, omnia vastitas & tristis desolatio occupat. Coniuges, liberi, ante ora vultusq; parentum turpiter diuexantur; nulli ætati, nulli partitur sexui; nihil ab hoste inato impetratur: desolationem agrorum, ac dissipationem horreorum, consequitur fames, famem dina pestis. Tulit hæc omnia priusquam perijt, domestico tumultu vexata Hierosolyma. Nam in seditione, quasi seditio facta est, altera in alterā parte versa: homines populares qui templū occuparant, dum se mutuò perferre non possunt, in seipso vertuntur. Occupat Eleasarus cum suis, superiorē templi partem, 10-  
annos

DE EXCIDIO

annae inferiorem; Simon eam urbis, que templo  
subiacebat, occupauenat regionem: ita laedebant  
pariter ac laedebantur, dum a superioribus inferi-  
ores oppugnantur, medij ab utrisque. Sic illa pie-  
tatis & religionis sanctissima sedes, facta fuit tu-  
multus & seditionis area. Ab alia Optimatum  
factione, impetus in templum fiebat; vineæ, ac re-  
liquæ munitiones, que pro templo contra Roma-  
nos urbem obsidentes extrui debabant, aduersum  
ipsum templum erigebantur. Ante aras ipsas Sa-  
cerdotes senes, pueri, ac nobilissimæ fœminæ cæ-  
debantur: & vnde spes salutis referri debebat,  
inde certissimus reportabatur interitus. Multi, in-  
quit Hegesippus, qui properantes ab ultimis fi-  
nibus terre, ad sanctissimum locum religionis  
causa venerant, ante ipsas hostias occubuerunt;  
aramq; vniuersis Græcis & Barbaris admiran-  
dam, suo sanguine imbuerunt: Sacerdotes, in-  
ter eas quas mactabant victimas, immolaban-  
tur. Ciuibus mortuis adueni, Sacerdotibus pro-  
phani misceruntur: perq; atria diuina, stagnū  
fecerat diuersorum cadauerum sanguis. Sic di-  
ces in sanguine, noctes in formidine transige-  
bant. Fames fuit maxima; lacertis viridibus,

HEGESSIPPUS  
lib: 5. cap: 22.

narrat

narrat idem *HEgesippus*, cæterisq; serpentū ge<sup>r</sup> *Ibidem ca:18.*  
 neribus, coctis exuuījs, pestem addebant: pars  
 uos liberos macie consumi, & aperta ora frus-  
 tra extendere videbant, exhausti fame & tabe-  
 luridi, nec oculos quidem attollere poterant:  
 figura sola hominis remanserat, vsus intercidet-  
 rat: simulachra hominum cerneret, officia de<sup>r</sup> *Ibid: cap: 21.*  
 syderares, mutis tātūm sensibus aspiciebant tēs  
 plum. In Romana castra confugientibus, vbi *Ibidem lib: 5.*  
 cibus datus est, cœpit oneri esse, desuetis edens *cap: 24.*  
 di officijs, si quidsorbuissent mollioris alimo-  
 nie, interclusis iam faucium meatibus strangu-  
 labantur. Obrigerunt interiora viscerum,  
 obstructi erant ductus ciborum. Aruerunt ie-  
 coris vene, que cibos attrahunt; virtus defece-  
 rat, cibi appetitu manente. Ruebant super ci-  
 bos & inualidos morsus, more infantium mo-  
 liebantur, vissis alimentis ipso gaudio deficie-  
 bant. *Hæc quidem Hegesippus.* Illud demum  
*Ieremiæ Prophetæ consecutum est:* Manus mul-  
 erum misericordium coixerunt filios suos, facti  
 sunt cibus earū in contritione filiæ populi mei.  
*Compleuit Dominus furorem suum, effudit i-*  
*ram indignationis sug.* Sic iniusta illa *I E S V* Threno: 4.

*E* *Christi*

*Christi sitis, quam isti felle & absinthio exacerbaverunt potius, quam extinxerunt, iustissima extremæ famis pœna vindicata est: reddidit Dominus vicem, ait Hieremias, iuxta openi manuum illorum. Ex fame pestis orta. In templo ipso, persequitur rem narrando HEGesippus, pro vnguentis bene olentibus, pro incensis bene spirantibus, pro diuersorum florum odoribus, grauis erat insepulorum cadauerum foetor: quos pluua dissoluerat, quos flamma combusserat, quos sol calefecerat, omnes artus cæsorum ciuium diro odore foetebant: hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor, sensus omnes atque ora complebant viuentium; ut ipsi non multo post grauiore morbo consenserent, ac se superstites ingemiscerent, quo duriore pœna perirent; eoq; se seruatos, ut viserent cum patria simul solui etiam leges nature: negari ius viuentibus, pacem ciuibus, sepulturam defunctis, humana pariter atq; diuina maculari atque permisceri: criminosaam esse misericordiam, religionis loco haberri crudelitatem. Castrum in templo, bellum in limine,*

*Hegesip: li.5. funus in altaribus. Matthæus misericibilis & cap: 22.*

senex,

HIEROSOLYMITANO.

35.

Senex & Sacerdos, iētū carnificis super colla charissimorū pignorū, ipsis primō in oculis eius crudeliter cæsis, exceptis: quo spectaculo, nihil funestius, nihil calamitosius, nihil magis miserum fieri potuit. Iacebant tūm in medio foro duorum summorum <sup>Iosephus li: 4.</sup> Pontificum, refert Iosephus, Principum recipib.<sup>cap: 7. de belo.</sup> Anani & Iesu, paulò antē sacris indumentis toto orbe celeberrimæ religionis amictæ, nuda corpora sine sepultura, canibus & feris projecta esca. Illudq; Davidicum testatur esse completum: Posuit <sup>Psal: 78.</sup> erunt morticinia seruorum tuorum, escas voratilibus coeli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terre, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Ruebant ambusta mollium, devoluebantur sublimium ædificiorum culmina, sanguine, fame, peste, incendio, ruina, tota vrbs consumpta periit. Tam durum & amarum est, incidere in manus Dei viuentis & saeuentis. Tum senes ac mulierculæ intestinis malis attoniti, ait Iosephus, pro Romanis vota faciebant; externumq; vulnus, quo domesticis malis liberarentur, expetebant. Subuersum est cor eorum, iuxta Hieremiac prædictum, in semetipisci;

<sup>Ad Heb: 10.</sup>

E ij quoniam

Deuter: 32.

quoniam amaritudine plenē facte sunt. Illud; quod prædixenat Moyses, impletum: Foris vastabat eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul & virginem, lactentem cum homine sene.

Exclamat Iosephus: Quid tandem passa es, o miserrima ciuitas, à Romanis? qui tua intestina scelera purgaturi, flammis introière. Iam enim

Hegeſip: li: 5.  
cap: 2.

Dei locus nō eras, neq; permanere poteras domesticorum funerum facta sepulchrum; præsertim tuorum, quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Huius igitur quasi gradibus à salute & incolumentate, ad tam dirum & crudele exitium, vrbs illa perducta est: ut neq; illam antiquitas sua, neq; ingentes diuinitæ, neq; per totū orbem diffusa fama, nec magna religionis gloria, quo minus periret, quicquam iuuerit: Non illam maiestas et religio Sancto sanctorū, non propitiatorii, non arca testamenti, non virga Aaron, non deniq; ipsi Cherubin texerunt: nō nobilitas, nec præclam parentum gesta quicquā profuerunt; nec mirū, si maiorum amisserunt merita, quorum fidem, pietatem, virtutem, iam pridem prodiderunt: sed ne pretiosus quidem sanguis ipse IESUS CHRISTI Domini cam iuuit, qui prolixè stillans ciuitatem

tatem

tatem illam irrigauent : non sepulchrum ipsum ;  
quod quoties ingredimur, inquit Hieronymus, to-  
tius iacere in sydone cernimus ipsum Saluatorem.  
Repulit enim Dominus altare suū ; maledixit san-  
ctificationi suæ ; obliuioni tradidit in Sion festiui-  
tatem et sabbatum. Facta est igitur ciuitas in tu-  
mulum ; vrbs fortis in ruinam & desolationem.  
Neq; verò, vt diximus, aut opibus & exercitibus,  
aut Imperatoribus Romanis cessit ; sed sua illā ma-  
licia, suæ perdiderunt factiones. Fatchatur hoc  
ipse Titus Romanus Imperator, indignitate ab ip-  
sis succēsi templi sacratissimi permotus : Cur, inquit,  
templum, & externi & gentilis sanguinis effu-  
sione, polluistis ? Testor ego patrios Deos ; &  
si quis vnquam hanc urbem aspexit, nunc enim  
neminem credo : iterumq; testor exercitū me-  
um, & vos ipsos ; quod non ego hæc vos viola-  
re compellam : seruabo autem vobis templum,  
etiam nolentibus. Compellat demū Ioannem,  
seditionis autorem pertinacissimum : Fide mea sal*ibid: cap: 31.*  
ya, hæc omnia tibi futura spondeo ; veniam ti-  
bi salutis polliceor : non pro mercede sceleris,  
sed pro redemptione vrbis ; vt à te redimā pe-  
riturorum culminū statum. Desinas, moneo, la-

E iiiij troci;

Ibid: cap: 34. trocinis tuis conturbare propositum pietatis  
Romang. Quid sibi volunt, Ioannes, impressi  
illi ante fores templi apices elementorum? Nonnè significant, neminem nisi sacratum de-  
bere templo appropinquare? Quid illa septa  
pro templo? Nonnè ut conspectus arceant vi-  
niuersorum liberos, solisq; mysticis pateat se-  
cretorū cognitio: atq; his sit liber aspectus, qui-  
bus est legittimus ingressus? Prospectus exclus-  
ditis peregrinorum, & accessus cogitis. Scribis-  
tis, vt nullus ingrediatur aduena, nullus pere-  
grinus introeat; & peregrinum sanguinem in-  
tra templum funditis, aduenarumq; simul & ci-  
uium cruento vestra altaria cumulatis. Testifi-  
cor ego, non impressionis nostre esse, sed ve-  
stre præuaricationis, quod violatis que vestra  
sunt. Ego alienus non exigo; imo obtestor,  
si velitis discedere, incolume templum futurū:  
neminem Romanorum hostiles irrogaturum  
manus, nihil de vestris temerandum esse sacri-  
ficijs. Seruabo templū vobis & proselytis: cul-  
tus enim Sacrorum diuersus, sed operis cōmu-  
nis vsus. Quod cultus fuit, à vobis recessit;  
quod operis est, victoribus remansit. Seruiui-

mus vobis

mus vobis, vt vestris legibus viueretis: dedimus potestatem vestris inferuire cultibus: sacra vestra scire noluimus, sed honorauimus. Postea rebellandum putastis. Pompeius templū coepit, sed non diruit: urbem occupauit, sed integra omnia reseruauit donaria. Pro quibus, o' grati socij, hāc vicem nobis rependistis, vt terrore rebellaretis. Veni ad bellum specie terrenis, affectu rogantis. Quoties à mōenibus vestris vocavi exercitum? Quoties postea à penes tralibus templi retraxisti? quoties restrinxisti incēdia? quoties monui? sed nunquam audistis.

Sic demū vltimò, quisquis ipse esset, Israēliticū Deum obtestatus est; ubi funestū matris facinus, quæ tūm fœdè et misembiliter filium suum, vltima fame pressa, int̄a viscera sua receperat, cognouit: Mundus ego ab hoc contagio; tibi me absoluo *Hegeſip: li. 5.* quæcunq; in cœlo potestas es: scis, scis profecto, quia intimo affectu pacem frequenter obtuli; & quod non pudet dicere, victor rogaui, quia parcere etiam ipsis tantorum flagitorum prodigiorumq; autoribus volui, parcere populo, urbem seruare: sed quid facerem repugnabitibus? sed quid facerem aduersus suos furenti-

E iiiij bus:

bus? positis plerunq; armis, quia illi à suorum  
cædibus non desinebant: in bellum reuerti, ut  
liberarem obfessos, non perderem: ipsi nos de  
muri s hortati sæpè sunt dimicare, ne grauius  
à suis perirent. Quales sunt ciues, quibus hostis  
remedio est?

*His ex causis igitur tanta pe-  
riit ciuitas, Gens electa, Regale sacerdotium, ci-  
uitas referta populis, clani Regibus, amica Deo,*

*Uidem ca: 22 gratiæ sedes: vrbs, quæ solebat sine armis vince-  
re; populus, cui sol stetit, mare & Iordanus cesit.*

*Deum enim, qui eam genuerat, dereliquit; & o-  
blita est Domini creatoris sui: percussit Iudicem  
Israël in maxillam, nec recordata est nouissimorū  
suorum. Ideò abscondit faciem suam ab ea, & co-  
siderauit nouissima illius. Ideò factus est Domi-  
nus veluti inimicus; præcipitauit Israël, præcipita-  
uit omnia mœnia eius; dissipauit munitiones, per-  
cussitq; eam vulnere, à quo non poterat curari.*

*Quod enim remedium, quæ ratio salutis, ubi au-  
toritatem & incolumentatis non reconciliatur? Om-  
nibus autem Regnis ac Rebus pub. Specimen & e-  
xemplum datum; quid sequi, quid declinare debe-  
ant, si diu felices & incolumes permanere velint.  
Tibiq; in primis Patria mea, hodierno die specu-*

*lum pro-*

lum propositum est, in quo diligentius vultum faciemq; intuearis tuam: num similibus aut bæresum, aut arrogantiæ, aut ambitionis, aut factiōnum, inquinata sis maculis: num peregrina omnia, quam tua malis: à quibus si liberi es, o beatam te & felicem; si autem à planta pedis, usque ad verticem capitis, sanitas in te non est; exterge maculas, ablue sordes tuas, priusquam sententiam Iudicis audias. Venient in te dies, quando projicēt te inimici tui in terram, & filios tuos, & non relinquetur in te lapis super lapidem; et, quod nō cognoueris tēpus visitationis tuæ. Nec enim melior conditio esse potest sylvestris oleastri, quam ger manæ oliuæ. Nec seriūs adoptatæ filiæ, quam illius cui dictum est: Hæc requies mea in seculum *Psal: 131.* saeculi, h̄ic habitabo quoniam elegi eam. Cuius confortauerat Dominus seras portarum, bene, *Psal: 147.* dixerat filiū eius in ea. Verūm dices fortasse; IESum Christum auro & argento non vendidi: at causam sanctissimæ religionis eius, aras item & templa: at ins & æquum, vel precio, vel gratia toties prodidisti. In horto captum non ligavi: at manus omnipotentiæ eius multoties ligasti, cùm omnipotentem Diuinitatē eius, non plus posse, quam

E v angu-

angustus sensus , aut mens tua capit : stultè & im-  
pune decernis ; nec plus illi fidei habes , nisi quantū  
vis , menteq; tua bebeti capis . Faciem eius non  
confui , maxillam non percussi , tergum flagris nō  
affixi : at vnicam sponsam eius Ecclesiam , tot ca-  
lumnijs , tot maledictis dilacerasti : at matrem eius  
virginem sanctam , impudica dicacitate toties pro-  
scidiisti : at faciem æternæ Diuinitatis eius , quod  
longè maius est , tot nefandis blasphemij sordasti .  
Coronam spincam capiti eius non imposui : at æ-  
ternitatis & omnipotentiae coronam ex capite eius  
nefarie detraxisti . In crucem Salvatorem mundi  
non sustuli : at ex folio dexteræ Patris , impie &  
seeleratè detrahere conata es . Regem meum non  
occidi : ut hominem non occidisti ; ut autem verum  
Deum , quod in te est Arriana perfidia , que in te  
sedem posuit suam , extinguerem moliris ; dum cum  
in æternitate natum , & viuentem , non agnoscis .  
Utinam igitur & tu cognoscas diem visitationis  
tuae , priusquam hæc omnia mala veniant in te ,  
que tu ipsa manibus tuis attrahere , illisq; viam la-  
tissimam sternere non desinis . Ego quidem pro  
meo officio , non tam libenter , quam necessario ,  
quod debui dixi : tu autem vide , quid tibi faciendū  
sit ,

HIEROSOLYMITANO.

43

fit, antequam præueniat te dies Domini magnus,  
Et terribilis valde; dies tenebrarum, Et caliginis;  
dies nubis, Et turbinis ; Et quis sustinebit  
cum? Hierusalem, Hierusalem,  
conuertere ad Dominum  
DEum tuum.

Amen.



